J. J. SPADA.

CORPORUM LAPIDÉFACT. AGRI VERONENSIS CATALOGUS.

1744.

85,8

Library of the Museum

OF

COMPARATIVE ZOÖLOGY,

AT HARVARD COLLEGE, CAMBRIDGE, MASS.

Founded by private subscription, in 1861.

DR. L. DE KONINCK'S LIBRARY.

No. 1584.

CORPORUM LAPIDEFACTORUM

AGRI VERONENSIS


CATALOGUS

QUÆ APUD

JOAN. JACOBUM SPADAM

Gretianæ Archipresbyterum aſſervantur.

Editio altera multo auctior, cui accedunt Annotationes, & Marmorum quæ in eodem agro reperiuntur Elenchus.



VERONÆ, MDCCXLIV.

Typis Dionyſii Ramanzinii Bibliopolæ apud S. Thomam.

Superiorum permiſſu.

NOBILISSIMIS VIRIS

HIERONYMO ET CAROLO DE ALLEGRIIS COMITIBUS.

JOANNES JACOBUS SPADA.

REcte quidem a majoribus inſtitutum eſt, ut quicumque opera ſua typis mandare ſtudent, id primum ſibi curæ habeant alicujus Mæcenatis nomine virtute, & natalibus clari eorumdem frontiſpicia condecorare, cujus patrocinio nobilitata, ne invidorum obtrectationibus labefactentur, tute in lucem prodire poſſint. Itaque cum Corporum Lapidefactorum quæ in agro Veronenſi reperiuntur Catalogum *iterum edere decreverim, mihi vitio tribuiſſem, ſi, qui opellulam meam a malevolis tueri poſſent, aliunde quæſiviſſem; cum ſors tantos Patronos obtule-*

A 2 *rit,*

rit, ut majoribus vel potentioribus niti vix mihi potis fuiſſet. Neminem etenim latet quantum ſit illuſtris Allegriorum gens, quanta proſapiæ vetuſtas, majorum fama & gloria; ita ut non ſolum dignitate inter concives clarius explendeſcat, ſed etiam apud exteras nationes magnificentia. Nam quos apud vos diverſari jubetis, urbanitatem, amicorum frequentiam, clientium multitudinem magnopere mirantur, tum convictuum & hoſpitiorum lautitiam & apparatum. Tu vero, HIERONYME, poſtquam majores tui fatis ceſſere, quam bene te geſſeris dum Cataphractorum turmam duxiſti, quod ſummum munus jure hereditario poſſides, quæ fuit rei militaris diſciplina? quæ in exſequendis mandatis eorum qui Reipublicæ præſunt obtemperantia? quænam dum Piſcheriæ militibus praeſſes cura? quam ſplendide, dum Tergeſte ad CAROLUM VI. Imperatorem Reipublicæ legatum comitareris, munus tuum obiiſti, ita ut Ser. Venetiarum Dux diplomate Non. Novembr. an. MDCCXXVIII. de re bene geſta publice tibi grates decreverit. Has animi dotes a natura habes, ſed non tam tibi, quam tuis etiam communes. Nonne tu, CAROLE, majorum ſimillimus es nobilitate, morum conſuetudine, animi magnitudine,

libera-

liberalitate, ceteriſque virtutibus, quæ in omnium oculis ſitæ ſunt? Nam quid geſta CAROLI Avi tui memorem? qui XVII. kal. Febr. an. MDCLXXXXVIII. turmæ equitum peditumve, qui Romanorum Reginam agrum Veronenſem prætereuntem comitari debebant, ſolus præpoſitus eſt, quo munere propriis impenſis tam ornate & ſplendide functus eſt. Quid majorum tuorum ANNIBALIS, GEORGII, & HIERONYMI, qui in bello Venetorum Peloponneſiaco jam ab anno MDCLXXVII. tam fortiter ſe geſſere, ut dum publico diplomate CAROLUS Avus tuus Cataphractorum equitum hereditaria præfectura decoraretur, egregiam de rebus ab eis in illo bello geſtis gratiam Senatus retulit? Quid ANNIBALIS loricatorum equitum anno MDCXXV. præfecti? Quid JOANNIS an. MDXXII. conſpicuo tunc temporis militari ordine S. Serenitatis Venetiis publice inſigniti? Quid tandem illorum, quos Melitenſium equeſtris ordo in albis adſcripſit? Gens itaque tantis virtutibus & nominibus clara, illuſtrium affinium numerum quammaximum ſibi adſcivit, quibus cum viris in eccleſiaſticis vel in civilibus dignitatibus ſummis conſtitutis propinquitatem & cognationem

con

contraxit. Principem locum obtinet Camilla uxor de nobiliſſima Luciniorum Mediolanenſium gente, tum Lucretia mater Caſtelbarcorum, virtute, & ingenio commendabiles. Quæ cuncta cum ſæpius attente penſitaſſem, vel etiam quanta benignitate me quotidie excipiatis, utroſque enixe rogo ut opellulam meam tueamini, & in humillimi obſequii ſignum eamdem accipiatis.

PRÆFATIO

PRÆFATIO.

QUemadmodum olim Scipio, & Lælius viri ſane præſtantiſſimi, alius quidem virtute belli, alius vero eloquentia & conſilio, ut ſuum a gravibus negotiis defatigatum animum oblectarent, & ſublevarent Caietæ & Laurenti conchulas & calculos lectitabant; ita laxandi animi gratia lapidefacta corpora, quæ in tanta copia ac varietate in agro Veronenſi reperiuntur, multis abhinc annis inquirere, contemplari, ac colligere cœpi. Quantum vero oblectamenti hinc animus meus cœperit, continuove capiat, verbis vix exprimere queam. Iis quos Hiſtoria naturalis & Phyſica delectat ſatisfacturus, hujuſmodi corporum quæ in parvo muſeo meo aſſervantur paucis abhinc annis Catalogum typis edere curavi, haud tamen ſingula enumerare volui; hoc enim nedum ſuperfluum, verum impoſſibile prorſus fuiſſet; cum eorundem ſpecies adeo inter ſe varient, ut ſingularum differentiæ pene infinitæ ſint, ſed tantum, quæ præ raritate vel formæ elegantia ceteris præſtant in medium proferenda eſſe putavi. Nunc vero amicorum & doctiſſimorum virorum precibus, qui me continuo verbis & epiſtolis

la-

laceſſunt votis ſatisfacturus, eumdem Catalogum iterum emitto. Prodibit tamen cum novis additionibus atque ornamentis; quotidie enim in hoc horum corporum feraciſſimo agro aliquid novi invenitur, tum quoque vulgaria locorum nomina in quibus eadem reperiuntur addere optimum eſſe cenſui, nempe ut quilibet ipſa inquirere, & facile nemine præeunte invenire poſſit. Perſuaſit mihi etiam vir ſane doctus, cui plurimum debeo, ut in eorum gratiam, qui hujus argumenti minus periti ſunt nominum, quibus res lapidefactæ indigitari ſolent, etymologiam ſuis locis exponerem. Neque etiam diſplicebit opinor, ſi de ipſis rebus lapidefactis pauca in genere præmittam, atque etiam ſi quæ de lapidum generatione dicturus ſum, diverſis profecto innitantur argumentis ab iis quæ paſſim apud Scriptores reperiuntur, ſed maxima ſaltem ex parte fulciantur obſervationibus, quas mihi dum agrum Veronenſem peragrarem facere contigit.

Rebus quæ petrificate *vulgo vocantur, vel ineſt dumtaxat lapidea cruſta ſuperinducta, vel eæ interius, exteriuſque lapideſcerunt: interdum interius replentur materia quadam lapidea, quæ in conchis ſæpe viſitur, vel etiam ſæpiſſime animalium teſtæ aut exuvia pereunt, ita ut ſuperſit ſolum interior quaſi nucleus.*

Non ignoro plurimos contendere res omnes în lapidem verſas meros eſſe naturæ luſus, horum tamen pace dixerim, aut ipſi numquam eas obſervarunt, aut temere ſaltem loquuntur, quod niſi a doctiſſimis viris demonſtratum fuiſſet, evidentiſſimis argumentis comprobare vellem, & facile poſſem. Etenim qua ratione oſſa Cervi, quæ ex duro ſaxo extrahenda curavi, ab eo qui illa obſervaverit, & ſua ratione utatur, naturæ luſus dici poſſunt? horum ad integrum ſcheleton formandum vix ne unum quidem deficit; ſingula vero, quod maxime advertendum eſt, nedum

quan-

quantum ad externam figuram attinet; ſed ad internam etiam veris cervi oſſibus tam ſimilia ſunt, ut ovum ovo tam ſimile non eſſe dixerim; eorum proceſſus, additamenta, ſubſtantia rara vel laxa, medulla ipſa tam diſtincte apparent, tamque pulchre, ut nihil amplius deſiderari poſſit.

Quid dicam de Piſcibus, qui veros piſces ita referunt, ut qui eos viderit, ſtatim eos agnoſet? Horum plurimos habeo, quorum ſpina e ſaxo extat, ita ut una cum commixta carne facile ſeparari poſſit: ſpinæ, vertebræ adeo integræ ſunt, ut non niſi veræ piſcis vertebræ dici poſſint. Uno verbo, omnia quæ in hiſce obſervantur, veros fuiſſe piſces manifeſto oſtendunt. Quid de plantis herbaceis, quarum folia e ſaxo extant; & tota facie vel circumſcriptione, fibriſque ſuam ſpeciem referunt, & manifeſte oſtendunt? Quid de Dendrolithis ſeu lignis in lapidem converſis? num exiſtimemus lapides ea forma creatos eſſe, vel ex arborum truncis originem habere? omnino vetat, truncus ille qui a me repertus fuit in loco Bolca *dictus, cujus pars (ſi bene recordor) lignea erat, & cultro ſecari poterat, pars vero omnino lapidea. Utinam eorum oculis, qui res omnes in lapidem converſas, meros eſſe naturæ luſus contendunt, cuncta hujuſce generis quæ apud me aſſervantur ſubjicere poſſem, ipſos profecto puderet contra tam manifeſtam veritatem pugnare.*

Nunc vero aliquid de lapidum generatione dicam, & breviter ſimul quomodo corpora lapideſcant explicabo. Adverſatur profecto obſervationibus eorum opinio, qui arbitrantur omnia lapidea corpora ab initio creata fuiſſe, utcumque enim rupes fuerint quaſi oſſa terræ formata cum terra, utcumque etiam alii lapides (ſilicet ita exigente recentis Mundi perfectione) conditi ſimul fuerint; nam certe conſtat, plurimos quolibet tempore lapides generatos fuiſſe, ac etiam nunc compingi ac generari. Ad hanc doctrinam confirmandam, infinita atque validiſſima argumenta apud philoſophos paſſim

reperiuntur, ego tamen pauca tantum afferre decrevi, ex iis ſane plurimis, quæ ager Veronenſis ſuppeditat. Prius tamen modum exponere optimum eſſe duco, quo lapides generentur.

Ingenti conſenſu tradunt omnes aquas vel ſupra, vel infra terræ ſuperficiem, maxime vero intra montium rimas ac cavitates defluentes, varias hinc inde arenæ vel metallorum particulas, abradere & ſecum deferre, atque cum ipſis omnino commiſceri. Hinc pro variis particularum generibus, aquis commixtis fluida diverſi generis formantur, ex quibus lapides, metalla, cryſtalli, ſalia, imo & omnia pene foſſilia ſuam ducunt originem, videlicet, ſive quod hæc fluida corpuſcula minori quam antea velocitate ferantur, vel aliquo in loco quieſcant, ſive quod a quibuſdam terris veluti a totidem colis percolentur, particulas ſuas relinquere coguntur, quæ aliæ aliis ſuperimpoſitæ, vel mirabili prorſus ordine diſpoſitæ, & inter ſe arcte compactæ (quod an ipſis ſalibus, an aeri, an particularum figuræ, an aliis denique cauſis tribuendum ſit, hujus loci non eſt disputare) foſſilia effingunt: aliquando etiam hæ particulæ cum quibuſdam terris commiſcentur, et ex hac commixtione foſſilia generantur.

Argumenta quibus demonſtrabitur lapides generari, & eo quidem modo quo nunc explicavi, jam exponere aggredior. Et in primis plurimi lapides, ut ex Catalogo noſtro conſtat, diverſas res, nempe foſſilia, vegetabilia, animalia, heterogenea corpora continent, vel iis circumveſtiuntur, & concava ſuperficie corporis vel animalis cui incubuerunt faciem perbelle referunt. Contra vero alii lapides, quorum plurimos habeo, plerumque in intimis durorum corporum receſſibus, nucleorum inſtar, circumſepti & tunicati reperiuntur. In quibuſdam agri noſtri torrentibus paſſim magnæ moles glarea, & fluviatilibus ſaxis compactæ obſervantur ipſis ſaxis duriſſimis, quibus interdum adhærent non minus duræ. Marmor illud quod vulgo della Pernice *vocatur totum ferme ex minutiſ-*

nutiſſimis conchulis conſtat. Nigrum & album marmor, quod e lapicidina Pomarol *cæditur, nihil aliud eſt niſi mixtio quædam Bucarditarum minorum & argillæ. Illud quod vulgo* marmo roſſo *appellant, plura Ammonis cornua, nonnulla haud exiguæ ſane molis continet. Quod* Biancone *vocant ſæpe Terebratulas, Belemnitas, piſcium dentes complectitur. Obſervavi etiam marmora quaſi ſemper eoſdem colores referre, quibus terra ſuper imminens inficitur. Plurimæ aquæ in agro noſtro reperiuntur, quæ cruſta lapidea herbas, arborum radices, ſaxa, aliaque corpora obducunt: hæc argumenta ad oſtendendum lapides in dies generari & eo quidem modo, quo ſupra explicavi, tam valida eſſe mihi videntur, ut alia adferre ſuperfluum eſſe judicem: niſi vero res ita ſe habeat me doceat aliquis, amabo, quo alio modo ea omnia evenire potuerunt.*

Denique perpendant quicumque annotationes legent Catalogo noſtro inſertas, corpora marina lapidefacta, non confuſa & commixta reperiri; ſed pro variis eorum generibus a ſe invicem diſtincta, ita ut in uno monte Piſces, in alio cornua Ammonis inveniantur; hoc enim ſolum eorum opinionem evertere videtur, qui corpora marina lapidefacta diluvianas reliquias eſſe contendunt. Eſto enim quod mare perturbatum ac nimium agitatum conchas univalves e ſaxis, quibus tempeſtatum tempore tam firmiter adhærent, divellere potuerit; eſto quod teſtacea quælibet, vel etiam cornua Ammonis maxima e fundo maris ſupra montes translata fuerint, hoc tamen quomodo abſque marinorum corporum confuſione fieri potuerit, non facile eſt intelligere; neque dicere juvat corpora marina ultro ad montes aqua tunc coopertos ſeſe tranſtuliſſe, nam præterquamquod Corallia aliaque graviſſima corpora ſeſe transferre non potuerint, quis credat duodecim menſium & decem dierum ſpatio, ea e propriis finibus exiluiſſe, ſtabilemque in montibus manſionem elegiſſe, ibique ſuam quam-

que ſpeciem tam copioſe multiplicaſſe? Hæc ſunt, amice lector quæ præfari optimum eſſe judicavi, reliquum eſt ut ſumptus labores, ac conatus meos æqui boni-que conſulas.

COR-

CORPORUM LAPIDEFACTORUM

CLASSIS PRIMA

UNIVALVIA.

Univalvium intortorum & Serpentum inſtar in ſe convolutorum.

GENUS PRIMUM

AMMONIS CORNUA.

AMMONIS cornu ab Ulyſſe Aldrovandio *Ophioides* dictum, vulgò Serpens lapideus, planum eſt, intortum vel involutum, Serpentis inſtar in orbem collectum. Ammonis cornu appellatur, quod Arietis cornibus quibus Jovis Ammonis caput inſignitur ſimile ſit. Teſtacea horum formam exprimentia, minima tamen in Ariminenſium littore ad mare ſuperum copioſe inveniuntur, & de quibus Cl. vir. Jo: Plancus in *Libro de Conchis minus notis* docte nuper diſſeruit, unde conjici poteſt in remotiſſimis maribus majora reperiri, quæ forſan noſtrorum magnitudinem attingunt. Varia

ria ſunt magnitudine & forma Ammonis cornua, pluribus minoribuſve ſpiris diſtincta, nempe ſtriata, nodoſa, levia, & foliacea: magnitudine autem, vel parva ſunt, media, majora & maxima. Foliacea dicuntur, quia folia referunt varia, leviter in ſuperficie ſignata, nempe Sabinæ, Quercus, & Abſinthii; horum foliorum diſſimilitudo a varia vertebrarum compagine; ex quibus omnia Ammonis cornua formantur repetenda eſt. Multi ſunt hujuſce Veronenſis agri montes exigui, & ſublimiores qui in lapicidinis marmoris albi, cinerei, rubri, croceique coloris, atque etiam in cinereis, ferrugineisque tophis Ammonis cornua continent, quorum ut videre eſt in ſequenti Catalogo fit mentio.

1. Ammonis cornu maximum, ſubluteum, quatuor anfractuum, quorum primus a ſecundo unciis duabus recedit, dorſo inſtar caudæ Cancri ſquamato: a ſummitate ad centrum concamerationis in pedes IX protenſum, pondere librarum Veronenſium CXL. E monte dicto *Valmenara di Grezzana* in ſcopulo topheo, ad meridiem, perraro reperitur.

2. Ammonis cornu maximum, ſubluteum, ſulcatum, latioribus ſulcis in ſpinam ſubrotundam abeuntibus, quatuor anfractuum, quorum menſura a ſummitate ad centrum concamerationis pedes VI attingit, pondere libr. LXVI, e monte *della Perniſa*, & in agro vici *Lugo* dicti, in marmore ſubluteo, ad meridiem.

3. Ammonis cornu maximum, cinereum, leve, ſpina craſſiore, & ſubrotunda, trium anfractuum, quorum menſura a ſummitate ad centrum concamerationis pedes VI æquat, pondere librarum LXX. In loco, quem appellant *alli trachi di Chieſa nuova*, in monte vulgo *le Saibe*, in marmore cinereo, ad occidentem.

4. Pars

4. Pars quædam bifida cornu Ammonis majoris, cinerei, trium anfractuum, in qua apparent juncturæ in orbem formatæ. E monte vulgo *Lumiago di Azzago*, in ſcopulo cinereo, ad occaſum.

5. Ammonis cornu majus ſubluteum, lacunis latis in ſpinam abeuntibus, quinque anfractuum, quorum menſura a ſummitate ad centrum concamerationis pedes quinque æquat, pondere lib. XXI. In loco qui dicitur *Faè di S. Anna*, in marmore ſubflavo, ad orientem.

6. Ammonis cornu majus, ſubflavum, quinque anfractuum, ſtriatum, ſtriis in dorſo trifariam diviſis. E monte quem vocant *Branco di Chieſa nuova*, in petra rubei coloris, ad meridiem.

7. Ammonis cornu majus, ſubflavum, ſulcatum lacunis latis, in ſpinam abeuntibus, trium anfractuum. E monte dicto *Solvani di Grezzana*, in marmore ſubflavo, meridiem verſus.

8. Ammonis cornu majus, ſubflavum, ſpina ſtriata, præcedente tuberculo, quatuor anfractuum. In loco qui appellatur *Leſſini di Podeſteria*, in marmore ſubflavo, ad meridiem.

9. Ammonis cornu majus, ſubflavum, trium anfractuum, hinc & illinc ſpinis inſtar caudæ Paſtinacæ piſcis armatum. E monte, qui dicitur *Magnavacca di Grezzana*, ad meridiem.

10. Ammonis cornu cinereum, minus, trium anfractuum, ſtriatum, ſtriis in dorſo ſubrotundo tripartitis. In loco *bocca di ſelva di Chieſa nuova*, ad meridiem.

11. Ammonis cornu minus, fere carneum, duorum anfractuum, tuberculis per longitudinem donatum, dorſo ſubrotundo, leviter ſtriato. In loco quem appellant *folignani di Chieſa nuova*, orientem verſus.

12. Am-

12. Ammonis cornu ſubalbidum, dorſo ſubrotundo, tuberculis & ſpinis tortuosis inſignitum, majus. E monte dicto *Calcari di Grezzana*, in petra vulgo *Biancone*, ad meridiem.

13. Ammonis cornu majus, ſubcinereum, ſtriatum, ſtriis eminentioribus & diviſis, cum anfractibus quatuor. In loco vulgo *bocca di ſelva di Chieſa nuova*, in marmore cinereo, ad orientem.

14. Ammonis cornu majus, ſubflavum, ſtriatum, ſtriis eminentioribus & diviſis, in ſpinam ſubrotundam abeuntibus, quinque anfractuum. In loco qui dicitur *branco di Chieſa nuova*, in marmore ſubrubro, verſus meridiem.

15. Ammonis cornu majus, ſubflavum, ſtriatum ſtriis integris, valde elatis, in dorſum abeuntibus, quatuor anfractuum. In loco vulgo *Folignani di Podeſteria*, in marmore ſubrubro, ad meridiem.

16. Ammonis cornu minus, ſubflavum, ſtriatum, ſtriis valde elatis, in ſpinam ſulcatam abeuntibus, quinque anfractuum, ex eodem loco erutum.

17. Ammonis cornu ferrugineum, minus, fere planum, ſtriis undulatis, denſis, in ſpinam ſubrotundam abeuntibus, trium anfractuum. In montibus quos vocant *di Azzago*, in topho obſcuro, ad occidentem.

18. Ammonis cornu luteum, minus, ſtriatum, ſtriis diviſis, in ſpinam ſubrotundam abeuntibus, trium anfractuum in loco qui dicitur *le laſte di Grezzana*, in petra lutea, ad meridiem.

19. Ammonis cornu ſubcinereum, minus, ſtriatum, ſtriis diviſis, in ſpinam ſubrotundam abeuntibus, quatuor anfractuum. In loco quem vocant *chieva di Grezzana*, in petra ſubcinerea, ad meridiem.

20. Ammonis cornu ſubalbidum, minus, duorum anfractuum, cum lineis in ſpinam rotundam abeuntibus,

præce-

præcedentibus tuberculis. E loco *Calcari di Grezzana*, in petra alba, ad meridiem.

21. Ammonis cornua alba, minima, plerumque plana, levia, ſpina acuta, duorum anfractuum. Ad Caſtrum S. Felicis Veronæ, in albicante argilla, meridiem verſus.

22. Congeries cornuum Ammonis minorum, variarum ſpecierum, ſaxo ſubnigro adhærentium. E monte *Boniſola di Grezzana*, ad occidentem.

23. Ammonis cornu majus, ſubflavum, unius anfractus, fere planum, ſpina ſubrotunda, & quinque radiis donatum. E loco *le laſte di Grezzana*, in marmore ſubflavo, ad meridiem.

24. Ammonis cornu leve, ſubluteum, minus, ſpina ſubrotunda, quinque anfractuum. E monte vulgo *Roſar di Grezzana*, ad occidentem.

25. Rariſſimum cornu Ammonis majus, cinereum, immerſum lapide, cum dorſo ſigillatim effoſſo, ita ut evidenter conſpiciantur loculamenta vertebris formata. E monte quem dicimus *Boniſola di Grezzana*, ad occaſum.

26. Ammonis cornu minus, ſubflavum, leve, & planum, unius anfractus, ſpina ferme acuta. E monte qui vocatur *le laſte di Grezzana*, in marmore ſubflavo, ad meridiem.

27. Ammonis cornu minus, ſubalbidum, leve, duorum anfractuum, ſpina ſulcata. E monte *Sarmazzi di Grezzana*, ad occidentem.

28. Ammonis cornua incompleta, aut nondum perfecta, quæ in Gretianæ finibus, *Azzagum* verſus, ad occidentem reperiuntur. Non ſphærica, ut alia ſunt; ſed longa, ita ut a centro ſejuncta matricem ex calcario lapide formatam habeant, & Ammonis cornu in linea fere parallela. Inventu vero difficillima, nec in lapicidinis unquam, ſed tantum evulſa adhuc uſque viſa ſunt.

29. Ammonis cornu incompletum, minus, ſubluteum, ſtriatum, ſtriis denſioribus in ſpinam rotundam abeuntibus.

30. Ammonis cornu incompletum, minus, ſubcinereum, ſtriatum, ſtriis alternatim diviſis, in ſpinam ſubrotundam abeuntibus.

31. Ammonis cornu incompletum, majus & complicatum, cinereum, ſtriis integris elatis, cum tuberculis, in cujus corpus concha anomia immerſa eſt.

32. Fruſtum cornu Ammonis incompletum, minus, ſubluteum, ſtriatum, minutiſſimis ſtriis, undulatis, in ſpinam ſubrotundam abeuntibus.

33. Ammonis cornu minus, ſtriatum, ſtriis diviſis, in ſpinam ſubrotundam abeuntibus, ſubcinereum, juncturis folia exprimentibus, trium anfractuum. E montibus *Sarmazzi di Grezzana*, ad occidentem.

34. Ammonis cornu cinereum, minus, leve, ſpina ſubrotunda, ampla, trium anfractuum, juncturis folia exprimentibus. Ad locum vulgo *Prè del Cerro*, occidentem verſus.

35. Ammonis cornu foliaceum, minus, ſubluteum, duorum anfractuum, in quibus conſpiciuntur juncturæ internæ. E montibus vulgo *di Roſar*, in argilla crocea, ad occidentem.

36. Ammonis cornua majora, & minora, foliacea, ſubflava, ſpina angulari, unius anfractus. In loco vulgo *le laſte di Grezzana*, in marmore rubro, ad meridiem.

37. Ammonis cornu foliaceum, minus, ſubflavum, unius anfractus, ſpina ſubrotunda. E loco *li Trachi di Chieſa nuova*, in marmore rubro, ad meridiem.

38. Ammonis cornu ferrugineum, minimum, foliaceum, duorum anfractuum. In montibus qui vocantur *di Marzana* evulſum repertum fuit.

39. Am-

39. Ammonis cornu foliaceum, inter maxima minus, cinereum, trium anfractuum, quorum menſura a ſummitate ad centrum concamerationis pedes tres æquat; pondere libr. XXXV. Via qua itur ad locum *Romagnan*, ad meridiem.

40. Ammonis cornu foliaceum, tenui & levi cortice ſubaurato coopertum. *Alle laſte di Grezzana*, meridiem verſus.

41. Ammonis cornu foliaceum, majus, crocei coloris, trium anfractuum, dorſo ſubrotundo. Eodem loco, ad meridiem.

42. Ammonis cornu foliaceum, majus, ſubrubrum, duorum anfractuum. E monte qui dicitur *Bregiago di Alcenago*, ad occaſum.

43. Fragmentorum cornuum Ammonis ſpecies variæ, cum vertebris & juncturis.

44. Ammonis cornua parvula diverſarum ſpecierum, colorumque. In locis ſabuloſis prope caſtrum S. Felicis Veronæ, ad meridiem, & in monte *Urſi* Gretianenſi, occidentem, & meridiem verſus.

GENUS SECUNDUM.

NAUTILITÆ.

NAutilitæ & Ammonis cornua his notis inter ſe differunt. Illi extrinſecus unico tantum orbe donanrur, extus ſquamato, intus concameratis ampliſque cellulis in meditullio perviis efformato. Hæc autem extrinſecus in multiplices orbes ſeſe circumvolvunt, & vertebris intus incurvatis & terebratis anguſtas valde cellulas exprimunt. Nihilo tamen minus forma fere conveniunt. Nautilitæ dicuntur, quod in ſe piſcem ex polyporum genere conti-

neant, qui veluti Nautæ per mare, concham ipſam qua latent, tanquam cymbulam vehunt (*a*).

1. Nautilitæ majores, minores, ſubcinerei, & alii ſubluteì, unius anfractus, extrema parte, qua centrum reſpicit ſtriata, ſtriis tortuoſis in dorſum ſubrotundum abeuntibus. Effodiuntur e montibus vulgo *di Aveſa*, & præſertim in radicibus illius, qui dicitur *Larzan*, occidentem ac meridiem verſus. Similesque, licet non tam frequentes, eruuntur etiam e montibus qui vocantur *di Colognola*, ad meridiem.

2. Nautilites minor, ſubcinereus, unius anfractus, dorſo ſubrotundo, ſquameo, reliqua parte corporis palmata. Perraro in valle, quæ finitima eſt vico *Prun*, ad orientem, cujus icon hic exhibetur. Vid. Tab. V.

3. Alius minor, ſubcinereus, ejuſdem ſpeciei.

4. Alius minimus, ſubnigricans, ejuſdem ſpeciei.

5. Alius minimus, ſubflavus, ejuſdem ſpeciei.

UNIVALVIUM INTORTORUM ET TURBINATORUM GENUS PRIMUM.

COCHLITÆ.

Cochlitæ generatim ſumpti intortarum concharum genus referunt: horum flexus a centro ſurſum tendunt; variis gyris pluſve minuſve extantibus extuberant, indeque varia ſortiuntur nomina.

Dividuntur in leves, rugoſos, lineatos, cælatos, ſulcatos, reticulatos, & ſtrumoſos.

1. Co-

(*a*) Geſn. de Aquat. lib. 4. p. 734.

1. Cochlitæ leviter umbilicati, leves, majores & minores, ſubcinerei, quatuor ſpirarum, umbone propemodum plano. E monte qui vocatur *Larzano* ad orientem: in duriſſimis petris continentur, & in propinquo monte quem dicunt *le Colombare*, in topho ſubflavo.

2. Cochlitæ leves, ſubcinerei, majores, minoreſque, quinque ſpirarum, ore ovato, orbibus ſubrotundis, umbilico acuminato. E monte *Bolca* ad meridiem, prope marinorum piſcium, aliorumque teſtaceorum fodinam, in calcario ſaxo duriſſimo.

3. Cochlitæ umbilicati leves, ſubcinerei, vel ſubflavi, vel ferruginei, majores, & minores, & minimi, quatuor ſpirarum, umbilico aliquantulum eminente. E monte *Roncà*, qua meridiem ſpectat, in argilla cinerea, ferrugineo rubeoque colore commixti & variati, ſæpiſſime aliis teſtaceis adhærentes reperiuntur.

4. Cochlitarum levium, minorum, umbilico aliquantulum elevato, trium ſpirarum congeries. In ſaxo ſubnigro. In valle *Creſtena*, meridiem verſus.

5. Cochlitarum umbilicatorum variæ magnitudinis, & coloris matrices. In montibus *di Poggiano*, ad orientem & occidentem.

6. Cochlitæ lacunoſi, majores, ſubcinerei, turbine quaſi plano, ore ovato, trium ſpirarum. *Muricitæ ſecundi generis Ulyſſ. Aldrov.* In montis cacumine, vulgo *monte del Comun di Quinto* ad orientem, in agris evulſi.

7. Cochlitæ cælati, & ſtriati, minimi, trium ſpirarum, ore rotundo, ſubcinerei, ſubflavique. In montibus, qui dicuntur *di Quinto*, occidentem verſus rariſſime occurrunt evulſi in argilla cinerea & ſubflava.

8. Cochlitarum alborum terreſtrium congeries in ſaxo cinereo, necnon in ſaxo nigricante. In vallibus nimio humore

more madidis, ſub rupium ſtratis prominentibus multi conjuncti ſimul adhærent, inde inter arenulas a pluviis congeſtas implicati lapideſcunt.

9. Cochlitæ cylindracei, cælati, ſublutei, majores, quatuor ſpirarum, turbine parum producto. In montibus vulgo *di Poggiano*, ad occidentem.

10. Cochlitæ cylindracei, ſubcinerei & alii nigricantes, majores, minoreſque, auriti, & ad perpendiculum cælati, quatuor ſpirarum. *Muricitæ Hier. Zannich.* In montibus *di Roncà* ad occidentem, in argilla obſcura.

11. Cochlitæ cylindracei, leves, majores, ſubcinerei, turbine fere plano. *Muricitæ primi generis Ulyſſ. Aldrov.* In valle, ad radices montis *Larzani* dicti, qua *Aveſam* ſpectat, occidentem verſus, aquis vecti reperiuntur; nec enim mihi conſtat unde avulſi ſint.

12. Cochlites major, cylindraceus, levis, & auritus, ſubluteus, turbine quaſi plano, quatuor ſpirarum. Prope fontem *di Sommavalle*, ad orientem.

13. Cochlitæ cylindracei, leves, ſubcinerei, quinque ſpirarum. *Strombitæ primi generis Mich. Mercat.* In montibus qui appellantur *di Quinto*, ad orientem, in topho ſubcinereo.

14. Cochlitæ cylindracei, leves, ſublutei, trium ſpirarum. *Strombitæ Ferr. Imperat.* In prædictis montibus.

15. Cochlitæ cylindracei, majores, & minores, ſubcinerei, leves, ſex ſpirarum. *Strombitæ Ulyſſ. Aldrov.* In iiſdem montibus.

16. Cochlites cylindraceus, ſubluteus, turbine quaſi plano; Cochlitarum venereorum ſpecies quædam. E monte D. Leonardi, ad meridiem.

17. Cochlites minimus, cælatus, turbine parum producto, ſubcinereus. E monte vulgo *di Poggiano* & in loco ejuſdem montis *al Ghetto* dicto, occidentem verſus.

GENUS

GENUS SECUNDUM.

NERITITÆ.

MArinarum Concharum ſpecies quaſdam ita a Nereo vocatas refeſunt. Eximiæ ſunt pulchritudinis, intorti, majoribus & peramplis anfractibus donati, ore plano, vel hiatu non roſtrato: umbilicus paucis ſpiris conſtat, & vixdum attollitur.

1. Neritites levis, ſubcinereus, duarum ſpirarum, primo orbe ampliſſimo, umbone vix eminente. In montibus, qui dicuntur *di Quinto*, orientem verſus, in topho ſubcinereo.

2. Neritites reticulatus, minimus, ſubcinereus, duarum ſpirarum, primo orbe ampliſſimo, umbone vix eminente. In montibus *di Marzana*, orientem verſus, in argilla cinerea.

3. Neritıtæ minimi, ſubflavi, reticulati, & alii leves, duarum ſpirarum, primo orbe ampliſſimo. In monte qui dicitur, *Mont'Urſi di Grezzana*, ad occaſum.

4. Neritìtarum fragmenta ſubcinerea. In monte quem appellant *Coſta grande di Grezzana*, in arena cinerea.

GENUS TERTIUM.

TROCHITÆ.

COchlitæ turbinati, quos Rondeletius ob ſimilitudinem turbinis, quo pueri ludere ſolent, Trochitas appellat, forma conum referunt, baſi planum, & mucrone acuminatum.

1. Tro-

1. Trochitæ in ſpiram convoluti, ſtriati, majores, minoreſque, nigricantes, cinerei, & alii ſublutei, unica ſpira donati, mucrone reflexo. In valle *di Roncà*, & in montibus *di Poggiano*, occidentem verſus.

2. Trochitæ leves, majores, minoreſque, ſubflavi, & alii cinerei, quatuor ſpirarum, mucrone acuminato. In montibus *di Quinto*, ad orientem, in argilla ſubflava & cinerea.

3. Trochites ſtriatus, ſubcinereus, major, octo ſpirarum, mucrone acuminato. In montibus *di Marzana*, ad orientem, in topho cinereo.

4. Trochitæ perpuncti, minores, nigricantes, ſeptem ſpirarum, mucrone acuminato. In montibus, qui appellantur *di Roncà*, ad meridiem, in terra nigra.

GENUS QUARTUM.

BUCCINITÆ.

TUrbinitarum genus quoddam ſunt, iique in medio latiores, inſtar turbinis, in margine vero ita producti, ut os bifidum ovatum repræſentent, quod intus leve & omnino album eſt. Alii Buccinitarum nomine, cochlitas turbinatos intortos intelligunt, quorum hiatus incurvatur, aut canaliculis ſignatur. Verum Buccinitæ noſtrates, dum lapideſcerunt, hanc faciem, ſi tamen unquam illa donati ſint, omnino amiſerunt.

1. Buccinites maximus, levis, ſubluteus, quatuor ſpirarum: pondere librarum IX. & unc. II. Ad fontem *Sommavalle*, ad meridiem.

2. Buccinites maximus, levis, ſubluteus, quatuor ſpirarum, pondere lib. XI. & unc. VIII. Ad D. Leonardi, Veronæ, occidentem verſus.

3. Buc-

3. Buccinitæ leves, majores & minores, ſubcinerei, quatuor ſpirarum, ventre craſſiore *Geſneri*. In montibus vulgo *di Quinto*, ad orientem, in topho ſubcinereo.

GENUS QUINTUM.

TURBINITÆ.

SUb hoc nomine quodcumque teſtaceorum genus torcularium cochleæ inſtar configuratum, & in longum mucronem deſinens intelligimus. Turbinites tortuoſus eſſe debet, & in mucronem acuminatum longioremque deſinere, ore ſit plano atque rotundo, ſpiræ tenuiter & paulatim deficiant, venter vel craſſities in baſi nulla ſit, eaque in cæteris ſpiris eadem ſervata proportione appareat.

1. Turbinites ingens, levis, ſubluteus, ſpirarum quinque: pond. lib. XII. & unc. VI. In agris prope fontem *di Sommavalle*, & in ſubflavis ſcopulis, ad meridiem.

2. Turbinites ingens, levis, ſubluteus, quinque ſpirarum, pond. lib. XXI. & unc. VII. In convallibus eidem fonti vicinis multiſſimi avulſi reperiuntur in terra ſublutea, tum in monte D. Leonardi, meridiem verſus.

8. Turbinites ingens levis, ſubluteus, quatuor ſpirarum: pond. lib. XIX. & unc. IX. iiſdem locis.

4. Turbinites ingens, levis, ſubluteus, ſeptem ſpirararum: pond. lib. X. & unc. VI. iiſdem locis.

5. Turbinitæ minores, faſciati, & punctati, ſubcinerei, & ferruginei. E montibus, quos appellant *di Roncà*, in terra nigricante, ad occidentem.

6. Turbinitæ minores, cinerei, polygoni, ſeptem ſpirarum. In monte *Bolca*, in ſaxo cinereo, ad meridiem.

7. Turbinitæ leves, minimi, alii ferruginei, & alii cinerei, ſex ſpirarum. In monte *Roncà*, in terra nigricante, ad occidentem.

8. Turbinitæ minores, ſubcinerei XIII. ſpirarum, ex quibus ſeptem ſtrumoſæ, ceteræ in acumine punctatæ. E montibus vulgo *di Bolca*, ad meridiem, in ſaxo cinereo.

9. Turbinitæ ſtrumoſi, majores & minores, ſubcinerei, X. ſpirarum. E montibus vulgo *di Quinto*, ſub columbariis ad orientem, in topho ſubcinereo, & albicante.

10. Turbinitæ minores, ferruginei, partim ſtrumoſi, partim in acumine leves, ſeptem ſpirarum. In prædictis montibus *di Quinto*, qua vallem *Val Pantena* appellatam ſpectant, orientem verſus, in topho ferrugineo.

11. Turbinitæ majores, & minores, heptangulares, tranſverſim ſtriati, ferruginei, VIII. ſpirarum. In montibus *di Roncà* ad occidentem, terra ſubnigra commixti.

12. Turbinitæ majores, & minores, leves, cinerei, tredecim ſpirarum. Ibidem.

13. Turbinitæ minores, in varias ſpiras convoluti, alii cinerei, & alii ſublutei. E montibus quos vocant *di Poggiano*, ad orientem, in topho cinereo & ſubluteo.

14. Turbinitæ ſubcinerei, minimi, alati, & cælati, ſex ſpirarum, ore oblongo. E montibus *di Marzana* ad orientem, in topho cinereo.

15. Turbinatarum majorum, minorumque matrices, ex ſcopulo ſubluteo, *Spiritæ*, *vel Ophitæ Ulyſſ. Aldrov.* ad S. Felicis arcem Veronæ, in ſaxo ſubluteo, ad meridiem.

GENUS

GENUS SEXTUM.

PURPURITÆ.

EX Cochlea oſtrum fundente, quo antiquitus lanæ inficiebantur Purpuritarum nomen ductum eſt. Hetruria copiam harum habet, nec tamen lanæ fuco claruit, ut ſcripſit Mercatus, unde haud temere dubitamus hanc de qua agimus verum Rondeletii Purpuritem non eſſe; ſed Porphyroidem, ut idem Mercatus aſſerit. Nihilo tamen minus Purpuritis nomine inſignietur ne a vulgari opinione recedamus.

Igitur Purpurites Turbinitarum genus eſt ſinubus ornatum, & multiplicibus cuſpidibus pulchre diſpoſitis armatum, roſtrum habet longum, in quo canaliculus eſt unde cibum depromit.

Purpuritæ roſtro incurvo, & alii roſtro oblongo, recto, angulares, & ſtriati, vel nigricantes, vel ſublutei, aut cinerei, quinque ſpirarum. In montibus qui vocantur *di Roncà*, in terra evulſi reperiri ſolent.

UNIVALVIUM HELICE CARENTIUM

GENUS PRIMUM.

ECHINITÆ.

TUrbinitis jam recenſitis Echinitas nunc deſcribam, qui ſunt ex genere Turbinitarum, globumque repræſentant; ſed ſpiræ & anfractus in ipſis deſiderantur. In Veronenſibus montibus evulſi, aut in eorum lapicidinis reperiuntur. Nihil omnino forma diſſimiles marinis, niſi ſpinis,

ſeu radiolis, qui facillime a marinis etiam Echinitis decidunt. Echinitæ in rotundos, ovatos & angulares dividuntur: qui rotundi ſunt, forma interdum cor humanum referunt. Multæ Echinitarum ſpecies inveniuntur in montibus vulgo *di Quinto*, *Coſta grande*, *Grezzana*, *Prun*, *le Stelle*, *&* *Poggiano*; alii ad orientem, alii ad meridiem, alii etiam ad occidentem, nonnulli in agris evulſi, alii vero in ſaxo calcario, & in argillis tophiſque.

1. Echinitæ majores, & minores, cinerei, & alii ſubflavi, ſtriis tenuibus a centro baſis planæ ac perforatæ ad acumen uſque productis; annulis minimis interſtitia ſtriarum occupantibus. In montibus qui dicuntur *di Poggiano*, *di Quinto*, *Coſta grande*, & *Volpare*, in agris evulſi, & in ſaxo calcario, ad orientem, & occidentem.

2. Echinitæ convexi, baſi concava, ſubcinerei vel ſublutei, quinis radiis e bina ſerie lineolarum tranſverſarum conflati, undique papillis minimis inſigniti. In montibus qui dicuntur *di Poggiano*, in ſaxo calcario, & argilla omnino abundant, orientem atque occidentem verſus.

3. Echinitæ diſcoidei, prominentes, ſubcinerei, & ſubflavi, quinis radiis e duplici ſerie, & quinis ſtriis ex unica ſerie lineolarum conflatis; interſtitia ſtriarum papillis minimis occupantibus. In montibus quos vocant *di Coſta grande*, *di Grezzana*, in agris evulſi copioſiſſime reperiuntur.

4. Echinitæ cordati, ſpatagoidei, cinerei vel ſublutei, quinis concavis faſciis, & papillis minimis undique inſigniti. In montibus ſupradictis paſſim occurrunt tophis, argillis, petriſque adhærentes.

5. Echinitæ cordati majores, & minores, ſubcinerei, quaternis radiis dimidiatorum punctulorum, & tranſverſalium lineolarum diſtincti; interſtitia ſtriarum, ut & imas partes papillis minoribus occupantibus. In valle quam appellant

pellant *di Larzano*, copioſiſſime in ſaxo albicante, orientem & ſeptentrionem verſus.

6. Echinitæ cordati, majores, minoreſque, ſublutei, quaternis radiis ex unico ductu lineolarum tranſverſarum conflatis: & ex averſa parte binis zonis e bina ſerie mamillarum a centro baſis ad roſtrum tendentibus; interſtitia radiorum zonarumque papillis minoribus occupantibus. In montibus vulgo *di Poggiano*, ad orientem, in ſcopulo flavo.

7. Echinites cordatus major, vertice parum elato, baſi plana, ſubcinereus, quinis radiis punctatis ad peripheriam uſque protenſis. Alii minores ejuſdem ſpeciei. In montibus quos vocant *di Fane*, ad meridiem, in ſcopulo cinereo.

8. Echinitæ cordati, majores, cinerei, & alii ſublutei, a centro ad peripheriam ſtriis decem notati, quarum unaquæque tranſverſis lineis dividitur, cum bina ſerie ſquamarum, baſi ſquamea. Alii minores ejuſdem ſpeciei. In montibus qui appellantur *di Romagnan*, in agris ſoluti, occidentem verſus, & in montibus vulgo *del Cerro*, in ſcopulo albo, ad occidentem.

9. Echinitæ cordati, leves, minimi, ſubcinerei, radiis carentes. In quodam loco dicto *la Veletta del Cerro*, in topho cinereo, occidentem verſus.

10. Echinitæ cordati, ſublutei, vel cinerei, quinis brevioribus radiis ex unica ſerie lineolarum tranſverſarum diſtinctis, baſi tumida. In montibus vulgo *ſotto le Volpare di Grezzana*, ad meridiem in cultis agris evulſi.

11. Echinitæ cordati crucis Melitenſis faciem referentes, ſubcinerei, quaternis lacunis minorum papillarum, & lineolarum inſignitis; reliqua vero corporis parte papillis minimis donati. In montibus qui vocantur *di Marzana*, ad orientem, in topho cinereo.

12. Echinitæ conoidei, ſtrumoſi, ſubcinerei, vel ſubflavi, quinis radiis ex bino ductu lineolarum compoſitis. In montibus vulgo *Ceſano di Val Pantena*, & *Romagnano*. Alii petra alba duraque incluſi ad occidentem, alii vero ſcopulo flavo ad meridiem.

13. Echinites pentagonus, major, baſi plana, ſubcinereus, quinis elatis radiis ex unica ſerie lineolarum tranſverſarum a faſtigii centro ad peripheriam tendentibus conflatus; annulis minimis totum Echinitem occupantibus. In collibus S. Joannis in valle Veronæ, ad meridiem, in ſcopulo luteo: perraro.

14. Echinitæ majores, ſublutei, ſtrumoſi, quinque radiis tumeſcentibus in formam ſtellæ inſigniti, cum umbone in medio, averſa parte quinque lacunis donati; annulis minimis totum Echinitem occupantibus. In collibus S. Zenonis in monte, intra urbis Veronæ mœnia, ad occidentem, in ſcopulo luteo, arenaceo, perraro.

15. Echinites hemiſphæricus, nigricans, minor, quinis radiis punctatis ab umbonis centro ad baſis centrum decurrentibus. In montibus *di Parona*, meridiem verſus, in ſaxo nigro, ſed raro admodum.

16. Echinitæ ſphærici, minores, & minimi, ſubflaveſcentes, vel cinerei, vel nigricantes, variis ſtriis & papillis minimis donati. In montibus quos appellant *mont' Urſi*, *Scaluccie di Grezzana*, occidentem ſpectantibus, in agris evulſi: abundant etiam in montibus *di Velo* & *Cerro*.

17. Echinites minor, ſubflavus, quinis ſubluteis ad baſim uſque protenſis zonis æquidiſtantibus, & duplici punctorum minimorum ſerie pinnatis diſtinctus, cum lineis tranſverſim decurrentibus. In montibus vulgo *Colognola* ad meridiem, in ſcopulo flavo, difficillime tamen inveniuntur.

18. Echi-

18. Echinitæ minimi, ſublutei, ſtriis tenuibus a centro baſis plana ad acumen uſque productis. In montibus quos vocant *di Pigozzo*, in topho luteo, ad occidentem, rariſſime.

19. Echinitæ orbiculati, lutei, aut cinerei, majores, quinis & duplicibus radiis a centro baſis ad coni faſtigium inſigniti, quorum interſtitia papillis horizontaliter diſpoſitis inſtructa ſunt. In montibus vulgo *di Prè magri del Cerro*, ad occidentem, in agris evulſi.

20. Echinites cordatus, minor, ſubcinereus, radiis quatuor ovato oblongis, & faſcia ad os uſque protenſa inſtructus. In monte *Boniſola* dicto inventus.

21. Echinites cordatus, minor, flammeus, baſi plana, ample ſquamata, faſtigiatus, quinis radiis horizontalium linearum conflatis diſtinctus; interſtitia faſtigii ſquamis laxis occupantibus. In monte quem appellant *Bregiago di Grezzana*, ad occidentem.

22. Idem parte ſuperiore dimidia cellulis inſtar favi inſtructus. In eodem monte.

23. Echinites rotularis dictus, cinereus, minor, ſtriis viginti, quarum decem papillis, & aliæ decem punctis minimis utrimque ornatæ ſunt. Ad caſtrum S. Felicis Veronæ, in argilla ſubcinerea.

24. Echinitæ ovati, cinerei, majores, & minores, radiis ad peripheriam protenſis. Paſſim in montibus S. Leonardi Veronæ, in tophis cinereis, & in petris cinereis, luteiſque occurrunt.

25. Echinitarum radioli balanoidei, ſtriati, vel punctati, majores & minores, cinerei. In montibus vulgo *di Roſar*, in ſaxo calcario.

26. Echinitarum radioli in longitudinem extenſi, punctati, leves, ſublutei, & nigricantes, majores, minores, & mi-

& minimi. In montibus vulgo *di Poggiano*, *delle Scaluccie*, *di Mont' Urſi di Grezzana*. In agris evulſi inveniuntur.

27. Alii ejuſdem figuræ plani, angulis dentatis, ſubcinerei, majores, minores, & minimi. In iiſdem montibus.

28. Echinitarum modioli ſcutati, ſublutei, vel ſubcinerei, majores, minores & minimi. In iiſdem montibus.

29. Echinitarum fragmenta ad ſimilitudinem ovi anguini Plinii. In monte vulgo *Urſi di Grezzana* ad meridiem.

GENUS SECUNDUM.

BELEMNITÆ.

BElemnitæ qui parvum ſpiculum forma repræſentant & lapideis fibris, ut ita dicam, ſeu radiis conſtant, ab Echinitarum radiolis forſan haud ſeparandi ſunt. Auctores nonnulli eorum originem ab aquarum ſtillicidiis repetunt: alii a liquore lapideſcente, & in tubulis marinis concreto Belemnitarum figuram deducunt. A quibuſdam Lyncurii appellantur, eo quod a Lyncis urina produci putant; quidam cælo una cum fulminibus dilabi inſulſe credunt. Eorum origo adhuc me latet; itaque de noſtratium enumeratione in præſentia ſolum ſollicitus ero.

1. Belemnitæ conoidei, ſulcati, nigricantes, vel cinerei, majores & minores.

2. Belemnitæ conoidei, punctati, nigricantes, vel cinerei, majores & minores.

3. Belemnitæ quaſi plani, nigricantes, vel cinerei, majores & minores. In montibus vulgo *di Roſar*, & *mont' Urſi*, ſub nemus ipſum, quod vulgo dicitur *del Negro di Grezzana* copioſiſſime reperiuntur in argilla alba, in marmoribus albis, rubriſque, & in agris evulſi, ad occaſum, meridiem, orientemque.

CORPORUM LAPIDEFACTORUM

CLASSIS SECUNDA.

BIVALVIA.

GENUS PRIMUM.

CONCHITÆ.

ABbſoluta Turbinitarum univalvium enumeratione ad cætera pergo. Conchitæ ab ipſis conchis, quas figura ſua referunt, nomen deſumpſere. Nullis gyris ſicut Turbinitæ donantur, ſed duabus valvis cardine conjunctis conſtant. Dividuntur in longos, rotundos, lunatos, æquilateros, & inæquilateros. Alii leves ſunt, rugati, extuberantes, ſtriati; alii imbricati, aut dentati; quidam vero ſpinoſi, nonnulli etiam ſtrumoſi, prout ex ſequenti Catalogo patebit.

1. Conchitæ, majores, & minores, inæquilateri, ſtriati, ſubcinerei. In montibus vulgo *di Quinto*, in loco qui dicitur *ſotto le Colombare*, ad orientem, atque occaſum, in lapide cinereo, & friabili.

2. Conchitæ majores, & minores, æquilateri, ſtriati, ſubcinerei, vel ſublutei. In colle *Nazaret*, Veronæ, ad meridiem, in ſcopulo ſubcinereo, vel ſubluteo.

3. Conchitæ inæquilateri, ſtriati, ſtriis tenuioribus, raris, echinati, cinerei, & ſublutei. In eodem colle.

4. Conchitæ ſublutei, inæquilateri, ſtriati, & echinati,

ti, quinis ſtriis prominentibus, cæteris demiſſis. In montibus *di Poggiano*, & *Quinto*, ad occaſum, in agris evulſi, vel duriſſimo ſubluteo ſcopulo incluſi.

5. Conchites inæquilaterus, ſubcinereus, maximus, extuberans & ſtriatus, umbone cardinis eminente. In agro qui vocatur *del Tripar*, in verticibus montium *di Quinto*, meridiem verſus atque occidentem ſparſim evulſi reperiuntur, nec non in ſaxo cinereo.

6. Conchitæ minores, inæquilateri, ſtriati, ſubcinerei, umbone cardinis eminente, ventre craſſiore, & verſus imam oram ſenſim attenuato ac compreſſo. In monte vulgo *di Fiammene*, ad meridiem, in ſcopulo cinereo.

7. Conchitæ majores, minoreſque, inæquilateri, ſubrotundi, ventrioſi, & rugoſi, per longum & tranverſim ſtriati, ſubcinerei, & ſublutei. In monte *Larzano*, ad orientem in agris evulſi, vel ſcopulis ſubcinereis, luteiſque concluſi.

8. Conchitæ minores ſublutei, triquetri, imbricati, ventre craſſiore, angulis obtuſis. In monte qui appellatur *Solvani di Grezzana*, ubi ſabulum effoditur, vulgo *la Sabionara*, ad occidentem, in ſaxo ſubflavo, raro tamen.

9. Conchitæ leves, ſublutei, minimi, inæquilateri. Ibidem in ſabulo ſubluteo.

10. Conchites ventrioſus, inæquilaterus, ſubluteus, complicatus, Oſtreitem plicatum valvis includens. In valle dicta *li Sarmazzi*, *al Paradiſo*, in argilla ſublutea, ad meridiem.

11. Conchites longus, & reflexus, ventrioſus, ſubluteus, per longum & tranſverſim ſtriatus. In monte vulgo *di Poggiano*, ad occaſum, in agris evulſus.

12. Conchitæ inæquilateri, triquetri, vel ſubrotundi, ſubflavi, leviter rugoſi. In monte qui dicitur *la Sabionara*,

nara, *in Solvani di Grezzana*, in ſabulo luteo, ad occidentem.

13. Conchitæ margaritiferi, maximi, ſubcinerei. Prope caſtrum S. Felicis Veronæ, ad ſeptentrionem, in argilla ſubcinerea.

14. Conchitæ Solenites dictus, vel Conchites pinnatus. Prope dictum caſtrum ad occaſum, in argilla ſubcinerea.

GENUS SECUNDUM.

CHAMITÆ.

Chamitæ dicuntur quod Chamæ nigræ Rondeletii faciem repræſentent. Chamitæ omnes a me deſcripti utramque teſtam habent, intus vero duro ſaxo cinereo referti ſunt.

1. Chamitæ maximi, dentati, rugoſi, ſubcinerei. In montibus quos vocant *di Roncà*, occaſum verſus, in ſcopulo ſubcinereo.

2. Chamitæ majores, rugoſi, ſubcinerei, ventre craſſiore. In monte vulgo *Larzano* dicto, ad orientem, in agris evulſi.

3. Chamites minor, ſubcinereus, levis, æquilaterus, & ſubrotundus, ventre craſſiore. In montibus qui dicuntur *di Poggiano*, ad orientem, in argilla cinerea.

4. Chamites minor, oblongus, inæquilaterus, levis, triquetrus, ſubcinereus, ventre demiſſiore. In vallicula *Sommavalle*, ad meridiem.

GENUS TERTIUM:

MUSCULITÆ:

ITa dicti quia Muſculis in rivis noſtris degentibus ſimiles ſunt.

Muſculitæ minores, nigricantes vel cinerei, leviter rugoſi. In valle quæ vocatur *Anguilla*, ad meridiem, in ſaxo nigro, aliquantulum friabili, atque in cinereo ſcopulo.

GENUS QUINTUM.

BUCARDITÆ:

BUcardites dicitur; quia bovis cordi comparatur.

1. Bucarditæ leves, cinerei, vel nigricantes. In monte qui dicitur, *Giare di Prun*, in topho nigricante, & cinereo, ad orientem.

2. Bucarditæ leves, maximi, ſublutei, vel ſubcinerei, ex utraque parte convexi, cum ſpina prominente. In proximis montibus, quos vocant, *di Monteforte*, in ſcopulo ſubluteo, ad meridiem; & prope caſtrum S. Felicis Veronæ, in argilla ſubcinerea, ſeptentrionem verſus.

3. Bucarditæ leves, inæquilateri, ſubcinerei, ventre craſſiore, & ad imam oram ſenſim demiſſiore. In valle quam dicunt *Sarmazzi di Grezzana*, ad meridiem, argilla ſubcinerea incluſi.

GENUS

GENUS QUINTUM.

PECTINITÆ.

PEctinites appellatur, quia Pectinem Rondeletii repræſentat: eaque concha pectinum dentes quibus crines pectere ſolemus ſtriis ſuis quodammodo exprimit.

1. Pectinitæ auriti, ſublutei, majores, & minores. In colle S. Zenonis in monte, intra Urbis mœnia, ad occaſum, in argilla ſublutea.

2. Pectinitæ auriti, & rugoſi, minores, ſublutei, ſtriis verſus oram amplis, valvis æqualibus. Ad caſtrum S. Felicis Veronæ, meridiem verſus, in argilla ſublutea.

3. Pectinitæ auriti, minores, valvis æqualibus, ſublutei, & ſtriati. In monte S. Dionyſii, prope vicum *Parona*, ad orientem, in ſtratis lapidum ſubluteorum.

4. Pectinitæ auriti, minores, ſtriati, valvis æqualibus, ſtriis circa oram valde latis, ſubcinerei. In montibus qui dicuntur *di Quinzano*, in argilla ſubcinerea, ad meridiem.

5. Pectinitæ auriti, majores, ſubcinerei, valvis æqualibus, ſtriis latioribus imbricatis, & partim ad cardines ſtrumoſis. In colle S. Zenonis in monte, intra Urbis mœnia, ad orientem, in argilla ſubcinerea.

6. Pectinitæ auriti, minores, valvis æquilateris, nigricantibus, cortice minutis ſtriis donato. In colle S. Felicis Veronæ, ad ſeptentrionem, in argilla ſubcinerea, & obſcura.

7. Pectinites minor, auritus, valvis æqualibus, ſubcinereus, levis. Ibidem.

8. Pectinitæ minores, auriti & ſtriati, valvis æqualibus,

bus, & nigricantibus, ſaxo cinereo adhærentes. In montibus quos vocant *di Vendri*, ad occaſum, in ſaxo cinereo.

GENUS SEXTUM.

OSTREITÆ.

Ostreites latine dictus ab Oſtreæ teſta in lapidem converſa, Oſtracitis nomen ab auctoribus qui de Hiſtoria naturali ſcripſere accepit. Num vero Oſtreites Dioſcoridis idem ſit ac recentiorum non ſatis liquet. Ex verbis Plinii manifeſte apparet Oſtracitem quem memorat, gemmam quamdam eſſe achatæ ſimilem. *Oſtracias*, inquit, l.37.c.10.*ſeu Oſtracites eſt teſtacea durior: altera achatæ ſimilis, niſi quod achates politura pingueſcit; duriori tanta ineſt vis, ut aliæ gemmæ ſcalpantur fragmentis ejus. Oſtraciti Oſtrea nomen, & ſimilitudinem dedere*. Quæ deſcriptio cum recentiorum ſententia haudquaquam congruere videtur, qui Oſtracitem lapideam oſtream eſſe volunt: rectius enim in Mercati *Metallotheca* Oſtreites dicitur, cui & ego aſſentior.

1. Oſtreitæ maximi, imbricati, ſublutei, & alii nigricantes, majores, & minores. In montibus *di Colognola* dictis, ad meridiem, in ſcopulo molli, ſubcroceo, & arenoſo, & in agro *Roncà*, in argilla nigricante.

2. Oſtreitæ majores, per longum profunde ſtriati, rugoſi & undulati, ſublutei, vel cinerei. In montibus *di Poggiano*, ad orientem, in argilla ſublutea & cinerea.

3. Oſtreitæ majores, rugoſi, & undulati, ex una, & altera parte imbricati, nigricantes. In montibus *della Piegara*, ad occaſum, in ſcopulo ſubnigro.

4. Oſtrei-

4. Oſtreitæ majores, plicati, & compreſſi, cum valvis fere planis, rugoſi, ſubcinerei. In valle *Sarmazzi di Grezzana*, ad meridiem, in argilla cinerea.

5. Oſtreitæ minores, ſubcinerei, & rugoſi, ex uno latere concavi, & reflexi, ex altero convexi, oris valde compreſſis. In valle *Cavazze di Lugo*, ad meridiem, in ſaxo cinereo. Copioſiſſime.

6. Oſtreitæ minimi, ſubalbidi, lacunoſi, & imbricati. In monte *d' Alcenago*, ad occidentem, in ſcopulo ſubalbo.

7. Oſtreitæ leves, minimi, ſublutei. Ex lapidibus arenaceis eruti. In monte vulgo *della Cola d' Aveſa*.

GENUS SEPTIMUM.

CONCHITÆ ANOMII.

SUb hoc nomine Conchas illas intelligimus, quæ teſtæ magnitudine, vel forma a cæteris jam recenſitis omnino diſſimiles ſunt.

1. Conchites anomius longus, ventrioſus, ſtriatus & auritus, ſubcinereus, inæquilaterus. In montibus vocatis *la Cola d' Aveſa* ad occaſum, in ſcopulo cinereo.

2. Conchites anomius, longus, inæquilaterus, ſtriatus, & auritus, raris aculeis donatus, ſubcinereus. In montibus *Coſta grande di Grezzana*, ad meridiem, in ſaxo cinereo.

GENUS

GENUS OCTAVUM.

CONCHITÆ ANOMII GRYPHITÆ DICTI.

GRyphitæ vocantur quia unguibus aduncis Gryphorum ſimiles ſunt.

1. Gryphitæ ſtriati, minores, ſubcinerei. In valle dicta *Cavazze di Lugo*, ad meridiem, in ſaxo cinereo.

2. Gryphitæ leves, minores, ſubcinerei. In eadem valle.

3. Gryphitæ majores, imbricati. In montibus *d' Alcenago*, *di Grezzana*, & *di Prun*, in lapide calcario, & in marmore rubro, ad orientem, & occidentem.

4. Gryphitæ minores, rugoſi, ſubcinerei. Prope caſtrum Sancti Felicis, Veronæ, in argilla ſubcinerea, ad meridiem.

GENUS NONUM.

CONCHITÆ ANOMII TEREBRATULÆ DICTI.

SUnt & hi inæqualiter bivalves, quorum pars una parvo roſtro tenuiter terebrato prominet ſuper aliam, & ita producitur, ut ejus verticem ſupertegat: ob talem itaque formam *Terebratulæ* roſtro prominulo veluti pertuſo appellati ſunt.

1. Terebratulæ ſtriati, minimi, compreſſi, ſublutei. In montibus, *Rovere di Velo*, *Chieſa nuova*, *Cerro*, *Scaluccie*

& *mont'*

& *mont' Urſi di Grezzana* copioſiſſime reperiuntur in agris evulſi.

2. Terebratulæ leves, enorchitæ, majores, ſubcinerei, ſublutei, ſubflavi, vel ferruginei. In montibus *Calcari di Grezzana*, & *Ropiano d'Alcenago*, in marmore dicto *Biancone*, & in marmore rubro, necnon in ſcopulo nigricante, ad meridiem, occaſum, & orientem.

3. Terebratulæ leves, enorchitæ, minores, valvis longioribus, ſubcinerei, nigricantes, & ſubflavi. In iiſdem montibus.

4. Terebratulæ leves, minimi, ſubrotundi, ſublutei. In monte vulgo *mont' Urſi di Grezzana*, ad occaſum, in arena ab aquis pluviis congeſta ſparſim reperiuntur.

5. Terebratulæ majores, minores, ſubflaveſcentes, & ſubcinerei, valvis per longum lacunoſis. Ad caſtrum S. Petri Veronæ, in ſcopulo ſubflavo, occidentem verſus; & ad S. Joannis in valle Veronæ, in ſcopulo ſubcinereo, ad occidentem.

6. Terebratulæ minores, cinerei, leves, ternis obtuſis angulis. In marmoribus albis, in montibus vulgo *Calcari di Grezzana*, *di Chieſa nuova*, & *d' Alcenago*.

CORPORUM LAPIDEFACTORUM

CLASSIS TERTIA.

TUBULATA.

GENUS UNICUM.

TUBULITÆ.

SUb hoc nomine intelligi debent quæcumque teſtacea, oblonga atque cava inſtar canalis, & omnino a Turbinitis, & ab Echinitis, duriſque Conchis diverſa. Tubulitæ vel cylindracei ſunt, aut quaſi vermen curvati, atque intorti, vel tandem Canum dentes repræſentant, variiſque ductibus extrinſecus ſignantur.

1. Tubulites cylindraceus, major, luteus: pond. lib. LXVI. unc. VI. In montibus D. Julianæ, ad occidentem, in ſcopulo luteo.

2. Alius ejuſdem generis, major, nigricans: pondere librarum XXXIX. unc. VI. In monte qui dicitur *Negrar*, ad occidentem.

3. Alius ejuſdem generis, mediocris, ſubluteus: pondere lib. XXI. unc. VI. In montibus quos vocant *di Poggiano*, in ſcopulo ſubluteo, ad orientem.

4. Tubulitæ cylindracei, minimi, ſublutei, & ſubcinerei. In montibus *di Ceſano*, ad occaſum in argilla cinerea, & ſublutea.

5. Tubulitæ vermiculares, ſubcinerei. In montibus qui appel-

appellantur *di Poggiano*, in argilla ſubcinerea, ad orientem, & *alle ſette fonti d'Alcenago*, ad ſeptentrionem; necnon in valle quæ dicitur *le fontanelle*, *a' piedi di Larzano*, copioſe inveniuntur, ad ſeptentrionem.

Quoniam monſtruoſorum lapidum denominatio, curioſum lectorem de vera eorum forma monitum facere haud potis eſt, operæ pretium duxi ad clariorem intelligentiam, illa corpora quæ apud me reperiuntur, utpote melius cuſtodita, exhibere delineata in tabulis. Equidem hujuſmodi lapides, quos neminem huc uſque ſignaſſe puto, ingentem ſane difficultatem, ut ad ſpecies ſuas revocentur afferunt, cum in maritimis aquis, hujuſmodi animalia non deprehendantur, fortaſſe quia in profundis aquarum cavitatibus inexplorata exiſtant, ſive alia de cauſa, nempe quod inter mutationes, quæ in terraqueo mundo evenerunt eorum generatio deperierit. Nihilominus quamcumque adhibui ſolertiam ut congruenti nomine hoſce lapides inſignirem.

6. Lapides monſtruoſi ſeu Tubulitæ maximi, cinerei, pedis caballini faciem gerentes. Vid. Tab. III.

7. Congeries lapidum monſtruoſorum maximorum, pedis caballini faciem gerentium. In montibus dictis *di Prun* & *Cerna*, in ſcopulo duriſſimo, vel etiam in ſilice impreſſi. Alii ſupradictis fere ſimiles, truncati & ungula deſtituti ibidem quoque reperiuntur, quorum figuram curioſorum oculis obtulimus in Tab. IV.

8. Lapides monſtruoſi maximi, minoreſque, ſeu Tubulitæ Dentalis faciem proferentes, cinerei. Vid. Tab. IV.

9. Congeries Tubulitarum majorum, Dentalis faciem proferentium. Ex petra cinerea; in monte vulgo *di Breonio*.

CORPORUM LAPIDEFACTORUM

CLASSIS QUARTA.

ANIMALIA INTEGRA,

eorumque partes.

CAncri ſeu Paguri lapidei, majores, & minores, tam concinne cancrorum formam referunt, ut nullus ſit dubitandi locus veros Cancros fuiſſe in lapidem converſos. Facies anterior dorſum exhibet ſcabrum, quod veteri teſta Thoracis inſtar parvis aculeis ſemicincta conſtat, tum bina occulorum cava in extrema ora apparent: poſterior vero facies chelas, octoque pedes recurvos, & complicatos oſtendit. Reperiuntur in argilla cinerea ad caſtrum S. Felicis Veronæ, orientem, meridiem, atque occaſum verſus, ſed admodum fragiles. In valle dicta *Val Donega*, ad radices montis D. Leonardi, orientem verſus pene marmorei ſunt, & in loco quem dicunt *la Caſa del Chiaſarin di Cerna*, ad occidentem fere ſimiles inveniuntur.

Gammari minores, ſubcinerei. Veronæ eruuntur ex argilla ſubcinerea, prope caſtrum S. Felicis, ad meridiem.

Cancri majores, minoreſque, ſubcinerei. Inveniuntur in radicibus montis *di Larzano*, orientem verſus, nullis ſaxis vel ſcopulis adhærentes: quorum iconem Tabula VIII. exhibet.

PI-

PISCIUM DENTES,

GLoſſopetræ ſeu Odontopetræ majores , minores , & minimi nihil aliud ſunt niſi Carchariarum Piſcium dentes, ut a rerum naturalium Scriptoribus vulgo traditur, exploſa plurimorum ſententia qui Serpentum linguas lapideas eſſe autumarunt. Varia illis eſt figura: plerumque triangularis, longa, in mucronem deſinens, aliquando teres, margine lævi vel dentato. In altis montibus e propriis ſedibus avulſi, & duris lapidibus incluſi reperiuntur.

2. Piſcium dentes oculi lapidei appellati, quia oculorum pupillis ſimiles, e pluribus montibus eruuntur, ut ex marmoribus vulgo *Biancone* & *Roſſo*.

3. Piſcium Dentes qui eorumdem palata dici poſſunt. In duriſſimis marmoribus reperiuntur.

4. Piſcium dentes incurvati & roſtrati, ex una & altera parte triangulares, atque ab origine uſque ad aciem rotundi. In montibus dictis *ſotto a' Marmi di Ceſano*, perraro reperiuntur.

5. Dentes molares equi marini ſeu Hippopotami vulgo crediti. In montibus vallis *Pantena* occurrunt.

OSSA.

IN montibus *di Valmenara di Grezzana* ad meridiem, in ſcopulo terrei coloris partimque cinerei, parvo antro ſupereminente, confuſa & in unum conglobata, Cervi cujuſdam oſſa tegebantur. Dum ipſa effoſa ſunt, quod admodum difficile fuit præ ſilicis duritia, quamvis omnis diligentia adhiberetur, non niſi fruſtatim excerpta ſunt. Omne tamen ſcheleton, cunctaque membra diſtincte

cerni

cerni poſſunt, ſcilicet cornua, calvarium, maxillæ, dentes, ſcapulæ, vertebræ, femora, crura & pedes.

PISCES.

IN confinibus agri Veronenſis & Vicentini, locus eſt, *Bolca* cognominatus, cui lapicidina ſubjacet, ſciſſilibus lapidibus conſtans, in quorum interſtitiis marinorum piſcium cadavera, tamquam eſſent bitumine vel piſſaſphalto condita continentur. Lapides ſcinduntur & in utroque eorum latere, vertebræ, ſpinæ, pinnæ, ſquamæ, ipſa caro perbelle impreſſa, vel eis adhærens cernitur, magiſque præ lapidum colore albeſcente apparet. Scorpenæ, Paſſeres, Suri, Scombri, & Rhombi abunde hinc eruuntur, magnuſque penes me eorum numerus eſt. Nec enim deſtituo piſcibus qui difficillime reperiuntur, nempe Hirundine. Vide Tab. II. Anguilla, & illo quem vulgus *Anguſigola* vocat.

Quantum ad ſtrata attinet in quibus hæ variæ piſcium ſpecies reperiuntur, animadvertendum eſt, ea ab invicem disjuncta eſſe, in variaque interſtitia durioris lapidis diviſa. Vide Tab. I.

Notetur inſuper eadem ab ima valle uſque ad verticem montis ſcopulorum inſtar oblique eſſe poſita: hinc deduci poſſe puto, cavitates quaſdam, inter utrumque ſcopulum fuiſſe hiſce ſtratis lapidum non occupatas. Hinc etiam deducitur vallem illam ſeu potius piſcinam ex glarea, argilla, & limo ab imminentibus montibus delabentibus, & in fundo ſubſiſtentibus paulatim eſſe oppletam, & piſces qui ibi degebant deinde opertos fuiſſe. Hinc quoque explicari poſſe puto, qua de cauſa piſces alii aliis ſuperimpoſiti ſint, & interdum ſquamis diviſis, vel fruſtatim membris diſcerptis huc illuc jacuiſſe.

Jam

Jam recenſitis piſcibus alii duo his addantur pulcherrimi & rariſſimi, nempe Hirundo, & Aurata, ovis cinereo lapidi ſparſim adhærentibus referti.

VERTEBRÆ PISCIUM.

PLerique Auctores quibus aſſentior autumarunt lapides Entrochos vocatos, & ſtellas referentes, eſſe vertebras piſcium in lapidem converſas, ob quam cauſam hic hoſce lapides recenſui.

1. Entrochi majores, rotundi, ſtellis carentes, & cinerei, ſeu vertebræ lapideæ piſcium majorum, quæ eruuntur e lapicidinis marmoreis S. Annæ vulgo *del Faè*.

2. Entrochi minores, ſubalbidi, Aſteriæ dicti, ſeu lapideæ vertebræ, pentagoneæ, piſcium minorum. In tophis albicantibus, e monte vulgo *le Maſue di Cerna*.

3. Entrochi variæ magnitudinis, ſublutei, & alii cinerei Aſteriæ dicti, ſeu vertebræ lapideæ piſcium minorum, angulis obtuſis, & angulis acutis. Copioſiſſime eruuntur e montibus quos vocant *Urſi* & *Scaluccie di Grezzana*, ad meridiem & occaſum verſus, in terra ſublutea ſabuloſa.

VEGETABILIA.

CORALLIA.

COrallia ut vulgo notum eſt gignuntur in ſcopulis marinis aquis ſubmerſis, non adeo tamen profundis. Eorum materies ſaxea eſt, ſuoque ſemine vegetat, ſi Marſilio credimus, quod tamen a recentioribus Phyſicis improbatur.

1. Fragmentum Corallii purpurei, quod ob caudicis craſſi-

craſſitiem unc. I. ob latitudinem unc. I. $\frac{1}{4}$. & in longitudinem unc. VIII. in Tab. VI. delineari curavi.

2. Permulta fragmenta ejuſdem Corallii purpurei in montibus vulgo di *Fiamene*, ad meridiem in topho ſubviridi inventa.

3. Corallium album: an Gypſum coralloides Geſneri? In ſupradictis montibus.

4. Corallium articulatum. In iiſdem montibus, perraro.

5. Corallium ſtellatum. In monte vulgo *la Sabionara*, in *Calcari di Grezzana*, inter ſabula lutea, ſed raro, ad occidentem.

6. Corallium album, ramulis reflexis. In monte *della Tenda*, *alle pontare di ſopra la fonte di Sommavalle*, ad orientem.

7. Corallium ſtriatum, cinereum. In montibus *di Poggiano*, orientem verſus, ex duriſſimo ſcopulo evulſum. Penes me eſt congeries ejuſdem Corallii, pond. lib. XXXX. Vid. Tab. VII.

8. Pſeudocorallium fungoſum, ſeu Millepora ſubflava: In montibus *della Sabionara di Calcari di Grezzana*, ad occaſum, in ſabulo luteo.

9. Corallium craſſum cylindricum, cortice ſpongioſa, cinereum, vertice cavo circumradiato. In torrente *di Prun*.

10. Corallia craſſa, cylindracea, cortice ſpongioſa, ſublutea, vertice cavo circumradiato. In monte *d'Alcenago*, prope columbarium, ad meridiem e ſuis ſedibus avulſa in agris reperiuntur.

11. Corallium craſſum, cylindricum, cortice ſpongioſa, vertice cavo circumradiato, pond. lib. XXXIII. in eodem monte.

12. Corallium reticulatum, albicans, in monte quem

vulgus

vulgus *ſette Fonti* nuncupat repertum, prope vicum *Alcenago*, ad meridiem.

13. Retepora ſubflava. In montibus qui dicuntur *di Fiamene*, ubi Corallia purpurea inveniuntur, perraro tamen reperitur.

SEMINA.

QUidam rerum naturalium Scriptores autumarunt Numularios, & frumentaceos lapides leguminum, peponumve ſemina fuiſſe in lapidem verſa. Alii ſibi finxerunt folia eſſe plura ſimul coacervata, in quorum centro granum involutum eſt, & utque varia ſunt folia, rotunda, longa, aut ovata, magna, media, aut parva, ita varia ſemina ſint. Nonnulli dixerunt marinorum teſtaceorum inſecta eſſe in unum congeſta, quæ dum in lapidem convertuntur, ita ſe colligunt, ut cartilaginoſa efficiantur. Plurimi putavere ſemina eſſe fortuito a ventorum vi congregata, & in terreis acervis depoſita, aut ſimul & inordinate ab aquis vecta, & cum terra & aquarum ſedimento commixta, indeque in lapidem converſa. Porro falluntur omnes, meo quidem judicio, cum nihil aliud ſint numularii ac frumentacei lapides, niſi quædam maritimæ conchæ, in quarum centro animal degit, tenuiſſimis cartilaginibus, inſtar oſtreæ, conſtans. Sphærica figura donantur exterius, biniſque valvis conſtant, intus vero canaliculus in ſe pluribus gyris contortus, parvi animalis cochleam repræſentat. In eam ſententiam adducor, ejuſmodi conchas numquam aperiri eo modo quo bivalves conchæ ſolent, ſed ſicut univalves, quas Aures dicunt, quæque ſaxis adhærent, maritimas aquas quibuſdam foraminibus accipientes, alvumque exonerantes. Sive

Numulariorum, ſive Frumentaceorum, ſive alio quocumque nomine conchas haſce donare velis, majores, minoreſque unius ſpeciei ſunt; & ſphærica figura magis vel minus utrinque convexa donantur. Hinc evenit ut pro vario conchæ ſitu lato vel tranſverſo, modo nummum, modo folia, modo ſemina Auctores qui de eis ſcripſere ſibi videre finxerunt. In pleriſque humilioribus montibus, ubi marina corpora lapidea reperiuntur, Numularii & Frumentarii inſpiciuntur lapides, quorum ſpecies ſequentes ſunt.

1. Lapis numularius ſubluteus, maximis laminis orbiculatis. In montibus *di Quinto*.

2. Lapis numularius ſubluteus, laminis minoribus incurvis. Prope caſtrum S. Felicis Veronæ, ad meridiem.

3. Lapis numularius cinereus, laminis minoribus, incurvis, cum conchulis ſtriatis, & auritis, minimis, hinc & illinc mixtus. Eodem loco, ad orientem.

4. Lapis numularius nigricans, ex pluribus laminis orbiculatis variæ magnitudinis compoſitus. *Poggianum* verſus, ad orientem reperitur.

5. Lapis numularius ſubluteus, laminis minoribus, & ſubrotundis, radiis in longitudinem extenſis, ac piſcium vertebris inſperſus. In monte *Urſi di Grezzana*, ad meridiem.

6. Lapis numularius, ſiliceus, ſubviridis, maculis albicantibus, & nigricantibus donatus. In monte *le Fontanelle di Grezzana*, ad ſeptentrionem.

7. Lapis numularius, ſiliceus, nigricantibus, rubeſcentibus maculis notatus. In monte *le Fontanelle di Grezzana*, ad ſeptentrionem.

8. Idem nigricans, cum albicantibus maculis permixtus. In eodem monte.

9. Lapis numularius, nigricans, laminis minoribus, mini-

minimiſque, faſciatis minoribuſque Turbinitis impreſſus. Ex monte quodam, prope vicum *Soave*, ad occidentem.

10. Lapis frumentarius, ſubluteus, ſemina leguminum referens. In monte *Cavolo di Grezzana*, ad orientem.

11. Lapis frumentarius, ſubnigricans, minuta veluti legumina referens. E montibus prope vicum *Roncà*.

12. Lapis frumentarius, ſubluteus, ſemina peponum referens. In monte *Cirezol di Negrar*, ad occidentem.

OOLITHI.

Oolithus lapis nomen accepit ab ovis, quibus aſſimilatur.

1. Oolithus, medius, albicans, cum topho ſubnigro. In valle *Squaranti*.

2. Oolithus minor, ſubluteus, cum topho plumbei coloris. In valle *Illáſia*.

3. Oolitus minimus, cinereus, ſaxo cinereo inhærens. In torrente vallis Paltenæ.

4. Oolithus minimus, ſaxo plumbei coloris adhærens. In valle *Anguilla*.

DENDROLITHI,

Seu materies & cortices arborum.

Arborum cortices, truncos, & nudos ſtipites cortice vel alburno ſuperinductos, in lapidem converſos fuiſſe nemo eſt ſanæ mentis qui neget, cum ea fruſta quæ in montibus reperiuntur adeo arborum truncis ſimilia ſunt, ut ovum ovo vix ſit magis ſimile. Sæpiſſime dum imas valles peragrarem, in hujuſcemodi veteris ævi reliquias incidi, quarum magnam copiam domi ſervo.

In montibus, qui vulgo dicuntur *di Bolca*, Laricis truncum olim vidi, partim terra cinerea obductum, partimque e ſolo extantem, quem ubi primum e terra eduxi, omnino corruptum eſſe comperi, ſed gravem, nam ab interiori parte minntiſſimis, & rubris arenis refertum erat in fibrarum interſtitiis; ex quo facile intellexi, truncum illum poſt ſui ipſius corruptionem ſenſim lapideſcere, & priſcam formam mutare.

1. Cortex Quercus, pond. lib. XXXI. In montibus *di Praole*, ad ſeptentrionem.

2. Truncus Fagi, lib. CL. in quodam loco, quem appellant *alli trachi di Chieſa **Nuova***. In agris e ſuis ſedibus avulſus, ad meridiem.

3. Ramus Olivæ, lib. V. In loco *alli due Cerri* vocato, in agris avulſus, ad meridiem.

4. Truncus Salicis, lib. III. unc. IV. In via, quam dicunt *di Roſar*, in argilla alba, ad meridiem.

5. Mori cortex, lib. V. unc. VI. In montibus *di Breonio* D. Annæ *del Faè*, ad meridiem.

6. Trnncus Laricis, lib. XIX. unc. V. In loco, quem vocant *Salgaroli di Grezzana*, ad orientem, in agris avulſus.

7. Truncus Populi, lib. VIII. unc. IX. In montibus, quos dicimus *di Roſar*, in agris avulſus, ad meridiem.

8. Truncus Juniperi. Ibidem.

9. Truncus Vitis. Ibidem.

10. Truncus Nucis, lib. XIII. unc. VIII. In valle dicta *Vea del Faè*, ad meridiem.

11. Truncus Fraxini lib. IX. unc. VIII. In montibus qui appellantur *di Prun*, ad orientem, in agris avulſus.

12. Radix cujuſdam plantæ ſubnigricans, albis ſtriis delineata. In montibus *di Arzarè*, meridiem verſus, in argilla cinerea.

PLAN-

PLANTÆ HERBACEÆ,

Arborumque frondes ſaxis nigricantibus, & cinereis impreſſæ.

DUriſſimi ſciſſileſque lapides illis ſimiles, qui Piſces continent, cinerei, & plumbei coloris, ex loco quem *Bolca* dicunt eruuntur, plantas, folia, flores, fructuſque tam bene exprimentes, ut in ipſis omnes ductus ſingillatim diſtincti videantur, ex quibus folia componuntur. Quemadmodum piſces omnes maritimi ſunt: ita etiam fere plantæ omnes, quarum multæ apud me aſſervantnr, penitus ignotæ, ideoque omiſſæ. E primis ſtratibus piſcibus ſuperimpoſitis eruuntur.

Planta quæ Bucca ferrea Petri Antonii Michelii videtur.

Caulis plantæ cujuſdam cum floribus floſculoſis.

Virgultum cum baccis.

Aliæ permultæ plantæ, quarum nomina omittuntur propter incertitudinem veræ denominationis.

In valle vulgo *Sarmazzi di Grezzana*, in obdurata argilla cinerea, quæ Bucarditas obducit reperiuntur:

Trichomanes.

Ruta capraria.

Polypodium quercinum.

Folia Primulæ-veris.

Caulis cujuſdam plantæ Filici ſimilis.

Muſcus ſaxatilis.

Folia Prunorum ſilveſtrium.

Folia Quercus ab aquis limoſis, & argilla refertis obducta. In valle quæ vocatur *Maſetto di Lugo*.

Lapides monſtruoſi abunde occurrunt in valle, quæ dicitur *Anguilla di Lughezzano*, qui etiam aſpectu ſuo folia demonſtrare videntur. Nihilominus minime ad folia, ſed potius ad tegumentum cujuſdam piſcis cruſtacei eos pertinere

puto;

puto; quam tamen opinionem aliorum judicio permitto. Vid. Tab. IX. in qua eoſdem exprimi curavi.

FRUCTUS.

ALiquando nuces, pyra, Armeniaca mala, Amygdala, aliique lapidei fructus in noſtris montibus reperiuntur, quorum aliquos potius naturæ luſui aſcribo; nec inter veros fructus lapides hoſce refero.

FUNGITÆ.

1. FUngitæ rotundi, ſubcinerei, pileolo plano. In montibus *di Quinto*, in argilla ſubcinerea, ad orientem.

2. Fungitæ ſubcinerei, vel ſublutei, vertice faſtigiato, pileolo tranſverſim decurrente, baſi concava, oris criſpis. In montibus *delle Colombare di Quinto*, in agris avulſi, ad orientem & occidentem.

3. Fungitæ ſubcinerei, vel ſublutei, rotundi, vertice faſtigiato, baſi concava. In iiſdem montibus.

4. Fungitæ, ſubcinerei, vel ſublutei, pileolo modiolis ſcutellatis donato, baſi ferme plana. In montibus *di Poggiano*, in agris avulſi, ad orientem & occidentem.

DENDROPHORI.

1. SAbinites ſubſtantiam lapidis permeans. Ex monte *Mizzago di Grezzana*, meridiem verſus; ramuſculis in lapide cinereo impreſſis, eruitur.

2. Idem, ex valle *della Maſon di Grezzana*, ramuſculis in lapide albo impreſſis, meridiem verſus.

3. Sabi-

3. Sabinites in ſuperficie lapidis, ramuſculis in lapide ſubluteo impreſſis. Ex monte *del vegro di Grezzana*, occidentem verſus.

4. Idem ramuſculis in ſaxo cinereo impreſſis. Ex valle *Roppiana d' Alcenago*, orientem verſus.

5. Idem ramuſculis in lapide cinereo impreſſis. Ex monte qui dicitur *Buſoni di Roſar*, ad occidentem.

GENUS TERTIUM.

STELLATI LAPIDES,
Qui Madreporæ ſpecies videntur.

STellati lapides qui in hiſce regionibus inveniuntur non adeo duri ſunt, ut lævigari poſſint. Color eſt illis cinereus, albicans, aut ſubflavus, iique multiplici bus canaliculis tenuiſſimis conſtant. Stellæ radiatæ apparent in quibuſdam, aliquando radiatæ & tortuoſæ. Si fruſtatim lapides ſecentur, in quolibet ſegmento ſtellæ ipſæ, ductnſque tortuoſi & radiati inſpiciuntur. Alii ſtellati, aut undulati in ſola ſuperficie reperiuntur, intus læves & nullis ductibue diſtincti. Utrique tam ab antiquis, quam a recentioribus *Aſteriæ* aut *Aſtroitæ* appellantur.

1. Stellati lapides, cinerei, ſtellis majoribus ipſam lapidis ſubſtantiam permeantibus. In valle *Caprina*, ad orientem, in ſaxo cinereo reperiuntur.

2. Stellati lapides, cinerei, ſtellis minoribus ipſam lapidis ſubſtantiam permeantibus. In eadem valle.

3. Stellati lapides, cinerei, undulati, ſtellis minoribus ipſam lapidis ſubſtantiam permeantibus. In eadem valle.

4. Stel-

4. Stellati lapides, ſublutei, ſtellis minoribus, & minimis, in ſuperficie ſolummodo conſpicuis. In loco dicto *alla Sabionara di Solvani di Grezzana* in flavis ſcopulis, & in agris avulſi, occaſum verſus inveniuntur.

5. Stellati lapides, ſublutei, undulati, undis in ſuperficie conſpicuis. In loco ſupradicto.

APPEN-

APPENDIX.

CORPORA CRYSTALLINA
Perlucidiora.

CRyſtallus alia eſt alba, alia ſublutea, alia nigra, forma pentagona, ut plurimum, aliquando hexagona, & interdum triangulari, vel quadrangulari. In altiſſimis montibus naſcitur, & a glacie concreta cujus colorem repræſentat nomen habet.

1. Cryſtallus cujus particulæ pyramidatæ ſunt, & baſim habent hexagonam. In altis montibus D. Nazarii, vulgo *Podeſteria*, in crypta *la bocca del ghiaccio* vocata reperitur.

2. Cryſtallus cujus particulæ pyramidatæ ſunt, & baſim habent pentagonam. In valle dicta, *Molina di Breonio*; juxta torrentem inventa.

3. Cryſtallus cujus particulæ pyramidatæ ſunt, & baſim habent quadrangularem. In montibus vico *Chieſa Nuova* adjacentibus, e puteo quodam ſcalpta.

4. Cryſtallus cujus particulæ pyramidatæ ſunt, & baſim habent trigonam. In valle, quæ dicitur *Anguilla*, juxta torrentem.

LAPIDES CRYSTALLINI
Selenitæ & Botrytæ dicti.

SElenites lapis cryſtallo inferior eſt, ſubluteo colore infectus, quo nitor ejus aliquantulum obumbratur: facile frangitur, & in multa ſtriata ſpicula dividitur, in triangularem, vel quadrangularem cuſpidem deſinentia.

1. Selenitæ cujus particulæ triangulares ex duabus veluti pyramidibus compoſitæ ſunt, baſeſque contiguas habent. In valle, quæ dicitur *Maſon di Grezzana*, copioſiſſime.

2. Selenitæ ramoſi, cujus particulæ quadrangulares ex duabus veluti pyramidibus compoſitæ ſunt, baſeſque contiguas habent. In appendice montis *Roſar di Grezzana*, copioſe.

3. Botrytes in columnam faſtigiatus, cujus particulæ triangulares in pyramidem deſinunt. In valle *Vea*.

4. Ingemmatio Botrytis quadrangularis. Ex valle nuncupata *Tavernelle di Grezzana*.

5. Botrytes terrei coloris, ex minutis aculeis compoſitus. E monte *di Fiamene*.

6. Selenitæ foliacei. In valle *Maſon di Grezzana*, copioſe.

7. Selenites mala aurantia cortice denudata repæreſentans, cujus iconem Tab. X. exhibet.

STALACTITÆ, STALAGMITÆ & Fungi Glaphyri.

AQua quæ guttatim in ſpecubus & aliis terræ cavitatibus defluit, & ſecum lapidum ramenta vehit, paulatim concreſcens, in longos ſcabroſque tubulos effingitur, concrectionemque lapideam Stalactitem dictam exprimit; varioque fluendi modo, vel ſitu diverſas figuras obtinet. Ejuſdem generis eſt fungus, qui Glaphyrus dicitur, nomenque habet ab antro Glaphyro, circa Pheneum Arcadiæ oppidum, hujuſmodi concretionibus nobile. Huc etiam Stalagmitem refero, qui lapis eſt ſubrotundus, ejuſdem originis, bellaria fere referens, & qui in iiſdem locis gignitur.

1. Stale-

1. Stalactites opacus, interius Cryſtalli forma, perforatus, cylindraceus, ſubluteus. Spatioſo in antro in valle dicta *Maſon di Grezzana*, & in pleriſque aliis hujus regionis montibus invenitur.

2. Stalactites cruſtaceus, ſubluteus, veſparum favum referens. In montibus prope vicum *Chieſa Nuova*.

3. Fungus Glaphyrus, intus Cryſtalli forma, cinereus. In antro, quod dicitur *Ronchi di Grezzana*.

4. Fungus Glaphyrus, intus Cryſtalli forma, ſubflavus. In ſpecu, quod vocant *di Prun*.

5. Stalagmitæ globoſi, cinerei. Ex antro in valle *Squaranti* eruti.

6. Stalagmitæ globoſi, nigricantes. Ex crypta unde fons qui *di Sommavalle* dicitur defluit.

LAPIDES PELLUCIDI,

& obſcure pellucidi.

ALii ſunt æqualiter, alii inæqualiter cruſta obducti, Pyritas Græci vocant, vulguſque noſtrum *Marcheſitas*, ex quibus, quaſi ex ſilice, ignis elicitur.

Ex iis qui æqualiter cruſtati ſunt, alii leves ſunt, vel obſcure pellucidi. Inæqualiter cruſtati rudes ſunt & ſcabri, interdum multangulares, & micantes micis aureis, aut argenteis, quidam etiam ferruginei coloris, micantes, & pellucidi. Aliquid æris, vel ferri continent, quod vix ab eis ſeparari poteſt.

1. Lapides alii cuneati, alii ſubrotundi, & alii propemodum plani, nigricantes, vel obſcure rubentes, chalybeis micis lucidi. In via qua itur ad vicum *Roſar*, in argilla alba inveniuntur.

2. Pyrites Plinii pinnatis triangulis, aureis micis reſperſus. In valle dicta *Lugo*, & in loco qui vocatur *Prè magri del Cerro*.

3. Idem pinnatis globulis auro micantibus. In eadem valle.

4. Idem lævis, auro micans. Ibidem.

5. Pyrites Avicennæ, quadrangularis, chalibeatis micis effulgens. In prædicta valle.

6. Pyritæ globoſi, ſcabri, ferruginei, pellucidi. In montibus vulgo *di Vendri* dictis.

7. Pyrites lævis, ærei coloris, ſtipitem referens, ex quo varii veluti tuberculi, alii aliis ſuperimpoſiti eminent; figura nunc ad Pyrum, nunc ad cornu accedente. In valle dicta *Molina di Breonio*.

8. Lapis multangulus, ferrugineus.

9. Lapides quadrati, ferruginei, variæ magnitudinis.

10. Lapides inſtar Tuberum efficti, ferruginei, variæ magnitudinis. Ad fontem quem appellant *di Gazzo vecchio d' Alcenago* reperiuntur.

ÆTITÆ, ET GEODÆ.

SUb hoc nomine lapides intelligimus interius excavatos & fornicatos, quorum nonnulli arenam, aut glaream continent, qui agitati reſonant, & Ætitæ aut Aquilini lapides appellantur. Alii induratam terram continent & Geodæ dicuntur.

1. Ætites ferrugineus arenam continens. In valle dicta *Maſon*, & juxta torrentem occurrit.

2. Geodæ ſublutei, qui nigram terram continent.

3. Geodes ſubflavus, terram plumbei coloris continens. In agris, & in eo loco quem vocant *Cola d' Aveſa*.

4. Geo-

4. Geodes luteus albam terram continens. In agris, prope vicum *Roſar*.

DRACONITÆ.

LApides cinerei, vel lutei, ſtriati, & læves, quos Draconites vocamus, ex genere ſiliceorum ſunt & varia figura donantur, ovata vel ſphærica, ſtriiſque ſuis varias quoque imagines effingunt. In monte prope vicum *Roſar*, in torrentibus Gretianæ, & in valle *della Maſon*, aliquando occurrunt.

1. Draconitæ ovati, & undulati, lutei.
2. Draconitæ ovati, leviter ſtriati, cinerei.
3. Draconites inſtar ovi gallinæ, cinereus, lævis.
4. Draconites ſphæricus, inſtar Rapi, cinereus.
5. Draconites mali citrei Libani faciem referens, luteus.
6. Draconitæ ſeu Encephalitæ *Ulyſſ. Aldrov.* cinerei, vel lutei.

Corporum Lapidefactorum agri Veronenſis

FINIS.

CATA-

CATALOGUS MARMORUM AGRI VERONENSIS

Una cum nominibus locorum in quibus reperiuntur.

LECTORI.

Cum olim doctiſſimo viro, & hiſtoriæ naturalis amantiſſimo ſatisfacturus eſſem, & Catalogum Marmorum quæ in agro Veronenſi inveniuntur texere, & ipſi mittere debuerim, eumdem Catalogum ſi in publicam lucem ederem Phylolithis rem gratam me facturum eſſe arbitratus ſum. Multa quidem marmora e noſtris lapicidinis cæduntur, quæ nitore & elegantia, tum verſicoloribus maculis magno in pretio habentur, & ceteris quibuſcumque quæ in variis Italiæ regionibus, vel etiam e Sicilia eruuntur nequaquam inferiora ſunt. Primum locum tenet illud quod lapicidæ Brentonicum marmor vocant, tum flavum e lapicidinis prope vicum Turrium erutum, in paucis ab illo ejuſdem coloris diverſum, quod in vetuſtis Romanorum ædificiis ſubinde reperitur. Tu vero Lector munuſculum iſtud accipe; eoque utere mecum.

Lapici-

I.

Lapicidina Marmoris rubeo colore donati, & maculis rubeis palleſcentibus.

HÆc lapicidina, quæ a collibus vulgo *Corrubiol di Chieſa Nuova* incipit, meridiem verſus, ad S. Margaritæ ſacellum uſque protenditur occidentem verſus, ſummo in monte originem habens, & ad ejuſdem montis meridiem deſinens. Strata prima, ſecunda & tertia, tegendis ædibus apta, tum columnis, arcubus, & epyſtiliis. Craſſitudo uncias quatuordecim ad ſummum attingit.

II.

Lapicidina Marmoris vulgo Biancone *dicti.*

In planitie *di Chieſa Nuova*, ſub ædibus italice *de' Zambelli*, occidentem verſus invenitur. Epyſtiliis, & arcubus effingendis inſervit, at cum ſit ſcabrum & inæquale levigari nequit.

III.

Marmor rubrum, pulchre maculatum.

In loco dicto *Scandoli di Chieſa Nuova*, ad meridiem invenitur. Hoc marmore columnæ, arcus, & epyſtilia, effinguntur. Major craſſitudo uncias circiter tredecim attingit.

IV.

Marmor rubrum pulchrum, mixtum.

In loco quem dicunt *Tranſion del Cerro*, apud ædes *della Montarina*, occidentem verſus. Alia lapicidina in imis locis ejuſdem *Cerro* invenitur, occidentem verſus. Marmor iſtud pulcherrimum eſt; columnæ, arcus ex hoc exſculpuntur. Major craſſitudo eſt unciarum qnindecim, circiter.

V.

Marmor maculatum, pulcherrimum.

In agro S. Vitalis, in loco qui dicitur *Rovere di Velo*, ad meridiem, ſtrata reperiuntur pedes quatuor lata. Hoc columnæ, & epyſtilia fiunt. Craſſitudo eſt illi eadem ac ſuperiori.

VI.

Marmor flavi coloris.

In agro S. Franciſci, prope prædictum vicum, ad meridiem. Epyſtiliis, baſibuſque inſervit. Major craſſitudo pedum duorum eſt.

VII.

Marmor obſcure maculatum, album, & flavum.

In loco qui dicitur *Piegara*, ad meridiem. Columnis, & epyſtiliis aptum. Craſſitudo pedis unius eſt cum dimidio circiter.

Mar-

VIII.

Marmor rubrum maculis palleſcentibus variegatum.

In loco nuncupato, *Malugni d' Azzago*, ad meridiem. Epyſtilia & arcus ex illo fiunt. Major craſſitudo unciarum circiter octo.

IX.

Marmor rubrum vulgo di Nembro.

In loco Italice *Gazo d'Azzago*, ad orientem. Hoc columnæ fiunt & arcus. Major craſſitudo unciarum circiter ſexdecim.

X.

Laplcidina Marmoris Biancone bello.

In loco vulgo *Lavandara d'Azzago* dicto, ad meridiem. Epyſtiliis, & arcubus aptum. Major craſſitudo unciarum circiter quindecim.

XI.

Marmor rubei ſubflavique coloris.

In agro *Azzago*, in monte vulgo *Maſo* vocato, ad orientem. Ad quodcumque opus efficiendum idoneum marmor.

XII.

Lapidicina duplex pulchri Marmoris rubri.

In agro *Lumiago*, ad occidentem. Ad epyſtilia idoneum. Major craſſitudo unciarum circiter decem.

XIII.

Lapicidina Marmoris, quod vocant Biancone belliſſimo.

In agro *Calcari di Grezzana*, ad meridiem. Ad epyſtilia, & portas idoneum. Major craſſitudo unciarum quindecim.

XIV.

Lapicidina Marmoris di Nembro *maculati, alteriuſque pulcherrimi.*

In agro *Calcari di Grezzana*, ad meridiem, cujus ſtrata quamcumque craſſitudinem ſuppeditant. Columnis & molis efficiendis apta ſunt. Ex inferioribus ſtratis, aliud pulcherrimum Marmor rubrum maculatum eruitur, aptum epyſtiliis, gradibus, & portis, craſſitudine unciarum octo.

XV.

Marmor roſeum cum flavo permixtum.

In agro *Roſar di Grezzana*, in monte dicto *Solvani*, ad orientem. Idque epyſtiliis inſervit.

XVI.

Marmor violaceum, flavumque pulcherrimum.

In agro prædicto. In monte dicto *il Boſco delle Fontanelle*, ad meridiem.

Lapi-

XVII.

Lapicidina Marmoris maculati vulgo Pernice.

In agro *Lugo*, in monte quem vocant *Perniſa*, ad meridiem. Inſervit columnis, & arcubus, ejuſque ſtrata quamcumque ſuppeditant craſſitudinem.

XVIII.

Marmor roſeum cum flavo permixtum.

In prædicto agro, ad occidentem, in monte Italice *Maſotti*.

XIX.

Marmor rubrum cum albo palleſcente permixtum.

In agro *Alcenago* prope Parochialem Eccleſiam, qua meridiem reſpicit. Columnis, & epyſtiliis aptum.

XX.

Marmor carnei coloris, interdum mixti cum flavo.

In agro *Stalavena d' Alcenago*, in monte vulgo *Rivolto*, ad orientem. Columnis & epyſtiliis aptum.

XXI.

Marmor flavum.

In eodem agro, ad locum *Bregiago* dictum, ad meridiem. Hoc columnæ, arcus &c. conſtruuntur.

Mar-

XXII.

Marmor rubrum cum pulchris maculis.

In eodem agro, in cacumine montis *Bregiago*, ad orientem. Hoc ad quodcumque opus idoneum.

XXIII.

Lapicidina Marmoris, vulgo di Mandolato belliſſimo *dicti*.

In agro *Orſara di Lugezzano*, ad occidentem. Hoc cuicumque aptum eſt operi.

XXIV.

Marmor rubrum, flavumque, pulcherrimum.

In agro *delle Vallene del Faè*, ad meridiem. Columnis, & epyſtiliis inſervit.

XXV.

Lapicidina Marmoris vulgo di Mandolato roſſo giallo belliſſimo *dicti*.

In locis qui nuncupantur *Coſta longa*, ad orientem, *Preoſa* ad orientem, *e Cà da ſelva di val Policella*. Columnis & epyſtiliis aptum.

XXVI.

Marmor flavum di Nembro *dictum*.

In ſummitate *Coſta longa*, cujus loci confines agros contingunt S. Georgii *di val Policella*, lapicidina una reperi-

peritur; altera vero in agro *del Corno* ejuſdem S. Georgii. Columnis, & epyſtiliis aptum.

XXVII.

Marmor rubrum maculatum.

In agro *Preoſa di val Policella*, ad meridiem, & occidentem. Prima ſtrata ſunt unc. XIII. columnis apta: altera unciarum novem circiter, haud inferioris pulchritudinis.

XXVIII.

Lapicidinæ Marmoris di Biancone *dicti*.

In agro ſupradicto, tum in illis S. Georgii, & *Mazurega*, ad orientem, *di Suiſi* ad meridiem, *e delle Pozze di Cona*, ad occidentem. Viginti duo ſtrata, ut plurimum, reperiuntur: primi & alterius craſſitudo eſt unciarum ſex circiter. Altarium menſæ, eorum ornamenta, & epyſtilia ex eo effinguntur. Stratorum viginti & duorum quæ recenſuimus media vocata ſunt *del Secchiar*, *Stopegna*, & *Gentile*: hæc ſepulchralibus urnis inſerviunt.

XXIX.

Marmor varium.

In agro vici *Monte*, in loco *Cavallo di val Policella*, & in agris *di val de' Toni*, ad meridiem. Materiam columnis, arcubus &c. ſubminiſtrat. Major craſſitudo pedum circiter trium.

Marmor

XXX.

Marmor ruberrimum.

In dicto vico *Monte*, in radicibus montis Paſtelli, ad meridiem reperitur. Ornamentis & teſſellato operi aptum. Interdum major longitudo ad quinque circiter pedes protrahitur.

XXXI.

Marmor flavum pulcherrimum.

In agro *Torri*, prope Benacum, ad occidentem. Hoc ad quodcumque opus idoneum.

XXXII.

Lapicidina Marmoris varii vulgo Miſchio, *elegantibus, pulchriſque ornati coloribus.*

In agro *Brentonico* Diœceſis noſtræ, qua Septentriones reſpicit. Hoc columnæ, epyſtilia, & arcus parantur.

XXXIII.

Lapicidina elegantiſſimi Marmoris varii coloris ab Italis Breccia *dicti.*

In altis montibus vulgo *di Vallarſa*, agro Veronenſi finitimis, ad orientem. Ex hoc columnæ arcus &c. exſculpuntur.

Mar-

XXXIV.

Marmor pulcherrimum, rubrum, & album, nuper inventum.

In agro *Pigozzo*, & ad locum *le Falci* dictum, in valle quam *Squaranti* vocant, ad orientem. Columnis efformandis aptum.

XXXV.

Marmor ſubcroceum nuper inventum, vulgo Mandolato belliſſimo *dictum.*

In agro *Azzago*, ad orientem, ad locum vulgo *Mazo* dictum, & ad ſcopulos, qui vallem *Pigozzo* reſpiciunt. Strata pedes duo longa ſunt.

Catalogi Marmorum Veronenſium

F I N I S.

CATALOGUS
VARIARUM RERUM
AD HISTORIAM NATURALEM PERTINENTIUM,

Quas accepi munificentia Doctiſſimi & Nobiliſſimi Viri

PETRI CHRISTIANI WAGNERI

Medicinæ Doctoris, & Archiatri Sereniſſimi Principis Brandemburgenſis.

1. OStreæ duo foſſiles, circa *Hohen Memmigen* in *Svevia*.

2. Cochleolæ foſſiles, prope *Heidenheim*, in agro *Wurtembergico*.

3. Cochlitæ ex agris circa *Biſvvangen*, in Comitatu *Pappenheimenſi*.

4. Terebratulæ prope *Schambac* ditionis *Pappenheimenſis*.

5. Piſces tres in lapide ſciſſili albo, prope *Ubermanshofen*, ditionis *Pappenheimenſis*.

6. Dendritæ tres, in eodem lapide ſciſſili.

7. Entrochi ex agris circa *Giengen* Civitatem Imperialem in *Svevia*.

8. Belemnites in apice triſulcus, ex agris circa *Azelsberg*.

9. Lapis pinguis, Germanice *Schmeerſtein* dictus; Cretæ Hiſpanicæ ſpecies, cum arbuſculis nigris, ex monte *Pinifero*.

10. Trochitæ ex monte *Eyſelberg*, in agro Brunſvicenſi.

11. *Hel-*

11. *Helmintholithus* Meduſæ, ſive Aſteria columnaris, pentaphylla, ex agris prope *Echterdingam*, in agro Stugardienſi Wirtembergiæ.

12. Trochitæ in matrice, ex monte *Eyſelberg*, prope *Wolffembuttelam*, in Ducatu *Brunſvicenſi*.

13. Concha rugoſa, in lapide calcario *Wolffembuttelenſi*.

14. Conchites anomius rugoſus Gryphites dictus, ex agris circa *Azelberg*, prope *Erlang*.

15. Aſtroites ex celeberrimo illo monte, qui *Bloksberg*, mons Bructerus vocatur, in Hercynia.

16. Echinites papillaris, Ovum anguinum Plinii, ex monte prope *Turnau*, in Franconia.

17. Conchites lunatus Mercati, ex agro *Wirtembergico* prope *Tubingam*.

18. Maſſa concharum anomiarum, ex monte *Schnabelburg* in Hercynia citeriore.

19. Stalactites ex antro ſubterraneo, prope *Draenſendorf*, in Principato Bareuthino.

20. Ingemmatio cryſtallina, ex fodinis metallicis Hercyniæ.

21. Eadem cum innato Pyrite, & Spatha lamellata, ex eodem loco.

22. Echinitæ rotulares, ex agro *Pappenheimenſi*.

23. Echinites cordatus, ex lapide calcario, agri *Pappenheimenſi*.

24. Belemnites, ſuccini inſtar, pellucidus, Gedanenſis.

25. Belemnites ari-piſtilli-formis, *Echterdingenſes*, agri Wirtembergici.

26. Coralloides craſſior, cylindricus, ſubſtantiæ corneæ, in medio perforatus, in agro *Giengenſi* Sveviæ.

27. Corallium craſſius, compreſſum, cortice ſpongioſa, ex agro Wirtembergico, prope *Heldenſingen*.

28. Corallium tubuloſum, & ramoſum, foſſile, ex agro *Giengenſi* in *Svevia*.

29. Baſis ejuſdem Corallii, ex eodem loco.

30. Corallium craſſum, cylindricum, cortice ſpongioſa in medio vertice perforatum, ex eodem loco.

31. Folia arborum, in terra ſpadicea, ex fodinis Aluminis valde profundis, prope *Comedau* in *Bohemia*.

32. Oolithus ex agro *Pucenſi*, prope *Gedanum*.

33. Oolithus ex *Eyſelberg*, prope *Guelferbitum*.

34. Oolithus ex *Nuisberg*, agri *Brunſvicenſis*.

35. Dens foſſilis, vel Unicornu foſſile *Caſtadienſe*, *Wirtembergiæ*.

36. Ichthiomorphus, in minera nigra *Buckholz*. In Comitatu *Halbergenſi*.

37. Duo Dendritæ, ex Epiſcopatu *Eycſtadienſi*.

38. Duo Lumbricitæ, ex agro *Pappenheimenſi*.

39. Adamantes *Briſtolienſes*, Angliæ.

40. Conchites ex agro *Quenfurtienſi*, in Saſſonia.

41. Conchites Ducatus *Hanoverani*, ex agro *Neoſtadienſi*, ad montem Raparum.

42. Pecten amphiotis, planior, ſtriis latioribus, ex arenæ fodina, prope *Niederſtozingen* in Svevia.

43. Aſteriæ columnares, ex foſſa civitatis Imperialis *Giengenſis* Sveviæ.

44. Modioli Stellæ marinæ caudatæ, ſeu Caryophyllites major, agri *Giengenſis*.

45. Articuli Stellarum marinarum, ejuſdem agri.

46. Oſtrea foſſilis minor, ejuſdem agri.

47. Cornu Ammonis ſtriatum, ex Comitatu *Iork*, in Anglia.

48. Cornua Ammonis metallica, minima, ex Ducatu Hanoverano.

49. Cor-

49. Conchitæ anomii læves, ex lapide cretaceo-calcario *Guelferbitano*.

50. Conchitæ anomii planiores, ſeu depreſſi, *Echterdingenſes*, *Wurtembergiæ*.

51. Ctenitæ ſpecies diverſæ, ſeu Pectunculi anomii, *Echterdingenſes*.

52, Pectunculi anomii, ex montibus circa *Unterleinleiter*, in Epiſcopatu Bambergenſi.

53. Conchæ anomiæ læves, ex prædictis montibus.

54. Piſces in lapide ſciſſili albo, ex lapicidina *Solnhofienſi*, in principatu Onoldino.

55. Piſcis duplex in eodem lapide ſciſſili.

56. Hyſterolythus *Emſenſis*, ex monte prope *Brunbach*; in *Haſſia*.

57. Oſtrea foſſilis maxima, ex agro *Giengenſi Sveviæ*.

58. Pecten amphiotis eremitarum maximus, ex monte arenoſo, in agro *Ortemburgico* Auſtriæ ſuperioris.

59. Concha tellinoides poroſa, craſſa, in lapice calcario, agri *Pappenheimenſis*.

60. Conchæ anomiæ ſeu Terebratulæ agri *Querfurtenſis*, in Saxonia ſuperiori.

61. Planta ſtellata Gallio ſimilis, in lapide ſciſſili, cinereo, prope *Halam Magdeburgicam*.

62. Oſtrea imbricata Aldrovandi, ex agris circa *Behringen*, prope *Geislingen* in Svevia.

63. Pectunculi ſubtiliſſime denſiſſimeque ſtriati, in lapide calcario agri *Pappenheimenſis*.

64. Pectunculi anomii ſubrotundi, ex agris circa *Azelsberg*, prope *Erlang*.

65. Trochus granulatus foſſilis, prope *Kirchehrenbach*, in Epiſcopatu Bambergenſi.

66. Fungi corallini ſtriati ramoſi, ex Svevia, prope Civitatem Imperialem *Giengen*.

67. Sa-

67. Sabulum ex ſcaturigine quadam prope *Moenchau*, in confiniis altiſſimi Germaniæ montis Piniferi, variis fragmentis corporum marinorum, ex cruſtaceorum, & Coralliorum proſapie refertum.

68. Smaragdus Saxonicus.

69. Cornua Ammonis martialia, quæ maximam partem in fragmentis occurrunt, in terra limoſa, prope *Kirchehrenbach*, in Epiſcopatu Bambergenſi.

70. Cornu Ammonis ſpinoſum, depreſſum, ſpiris latioribus, cum ductibus ſerpentis, in minera Martis arenoſa, ex ferri fodinis, prope Civitatem Imperialem *Halen*, in Svevia.

71. Cornu Ammonis ſpinoſum, ſtriis undulatis, in matrice, ex agro *Altorffino* Noricorum.

72. Cornu Ammonis non ſpinoſum, ſtriatum, ejuſdem agri.

73. Cornu Ammonis læve, non ſpinoſum, compreſſum, ſpira latiore horizontaliter currente unica terminatum, ex agro Pappenheimenſi. V. *Scheuchzeri Muſeum Diluvianum* num. II.

74. Cornu Ammonis læve non ſpinoſum, compreſſum, craſſius, ex duabus ſpiris conſtans, ex eodem agro.

75. Cornu Ammonis non ſpinoſum, ſtriatum, ſtriis bifurcis, ex eodem agro.

76. Cornu Ammonis non ſpinoſum, ſtriatum, ſpiris anguſtioribus, ſtriis quadri-et-quinque partitis, ſpiram, & ambitum trajicientibus, ex agro *Pappenheimenſi*.

F I N I S.

IN-


INDEX.

AEtitæ. pag. 60.
Ammonis Cornua. p. 13.
Animalia lapidefacta. p. 44.
Belemnitæ. p. 32.
Bolca montis deſcriptio. p. 80.
Bucarditæ. p. 36.
Buccinitæ. p. 24.
Botrytæ. p. 57.
Chamitæ. p. 35.
Cochlitæ. p. 20.
Conchitæ. p. 33.
Conchitæ anomii. p. 39.
Corallia. p. 47.
Cryſtallus. p. 57.
Dendrolithi. p. 51.
Dendrophori. p. 54.
Draconitæ. p. 60.
Echinitæ. p. 27.
Fungi Glaphyri. p. 58.
Fungitæ. p. 54.
Fructus lapidefacti. p. 54.
Geodæ. p. 60.
Gryphitæ. p. 40.
Lapides pellucidi. p. 59.
Lapides ſtellati. p. 55.
Marmora Veronenſia. p. 63.
Muſculitæ. p. 36.
Nautilitæ. p. 19.
Neritæ. p. 23.
Oolithi. p. 51.
Oſſa. p. 45.
Oſtreitæ. p. 38.
Pectinitæ. p. 37.
Piſces. p. 46.
Piſcium dentes. p. 45.
Piſcium vertebræ p. 47.
Plantæ herbaceæ. p. 53.
Purpuritæ. p. 27.
Selenitæ. p. 25.
Semina. p. 49.
Stalactitæ. p. 58.
Stalagmitæ. p. 58.
Terebratulæ. p. 40.
Trochitæ. p. 23.
Tubulitæ. p. 41.
Turbinitæ. p. 25.

MON-

MONTIS BOLCA
DICTI ORTOGRAPHIA,
Ex quo Piſces foſſiles eruuntur.

A Eccleſia vulgo *di Bolca* dicta.
B Montes tophacei.
C Strata lapidea ſubcinerea, Numulariis referta.
D Lapides ſciſſiles cinerei, plumbeique coloris, in quorum interſtitiis Piſces, Plantæ herbaceæ, & Arborum frondes repeiiuntur.
E Interſtitia durioris albicantis lapidis, minus ſciſſilis, abſque Piſcibus, Plantis &c.
F Præcipitium ſub fodina, ubi ſtrata profundiſſima ſunt; ſed ſine Piſcibus.
G Lapides ſciſſiles, cinerei, plumbei coloris, infra topho poſiti, carentes Piſcibus, Plantis &c.
H Initium fodinæ Piſcium, auſtrum verſus.
I Maximum ſtratum lapideum, ſubcinereum, Numulariis refertum.
K Saxum oppletum minimis Numulariis.
L Stratum lapidis cinerei Terebratulis repletum.
M Stratum coloris plumbei.
N Interſtitia tophacea.
O Stratum coloris plumbei.
P Stratum craſſum lapidis cinerei, cum variis Turbinitarum ſpeciebus.
q Foſſæ ab aquis effictæ.
Y Mons *Poſtaglie* dictus.
Z Piſcium collis.


Tab. I
A
AVST
ORIENS
SEPT
K
L
M
N
O
P
Y
G
H
F

Tab. II




Tab. III.



Tab. IV.










Tab. VI.






Tab. VII.



Tab. VIII

Fig. I.



Facies poſterior. *Facies anterior.*





Fig. 2.

A. chelæ.







Tab. X



NOI
RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la fede di Reviſione, ed Approvazione del P. *F. Lauro Maria Picinelli Inquiſitore Generale di Verona*, nel Libro intitolato: *Corporum Lapidefactorum agri Veronenſis Catalogus &c.: Editio altera, multo auctior. Accedunt Annotationes, ac Catalogus Marmorum Agri Veronenſis*, non v'eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro; niente contro Principi, e buoni coſtumi: concediamo Licenza *a Dionigi Ramanzini Stampatore di Verona*, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle pubbliche Librarie di Venezia. e di Padova.

Dat. li 29. Agoſto 1744.

{ G. Piero Paſqualigo Rif.
{ Giovanni Emo Proc. Rif.
{

Regiſtrato in libro a Carte 43. al num. 285.

Michel Angelo Marino Segr.